


DISPUTATIO ANTIQUARIO-HISTORICA INAUGURALIS

DE

CENSORUM

APUD ROMANOS

AUCTORITATE ET EXISTIMATIONE

EX

VETERUM RERUMPUBLICARUM

CONDITIONE EXPLICANDA.

DISPUTATIO ANTIQUARIO-HISTORICA INAUGURALIS

DE

CENSORUM

APUD ROMANOS

AUCTORITATE ET EXISTIMATIONE

EX

VETERUM RERUMPUBLICARUM

CONDITIONE EXPLICANDA.

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

IODOCI HERINGAE, E. F.

THEOL. DOCT. ET PROF.

UTI ETIAM

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA


RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS,

DORDRACENUS.

DIE III JUNII MDCCCXXIV, HORA XII.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Offic. JOH. ALTHEER.

VIRO CLARISSIMO

PHILIPPO GUILIELMO VAN HEUSDE

PHILOS. THEORET. MAG. J. U. ET LITT. HUMM. DOCT.

ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM

HUMANIORUM IN ACADEMIA RHENO-TRA-

JECTINA PROFESSORI INSTITUTI

REGII ARTIUM DOCTRINARUM-

QUE TERTII ORDINIS SOCIO

D. D. D.

AUCTOR.

AVUNCULO DILECTISSIMO.

Ob duas equidem causſas hanc, optime Virorum, disſertationem tibi inſcribendam cenſui. Etenim, ſi eruditisſimi viri, quorum ſcripta acre ingenium, accuratam rerum cognitionem, variam uberemque doctrinam referunt, his tamen ipſis a praeſtantiorum auctoritate commen-

dationem quaerunt; meum facile omnes probabunt consilium, cum tenue prorsus et juvenile specimen tuo nomine commendare studeam. Verumtamen multum abest, ut opusculo tantum meo prospicere coner. Sed, quandoquidem, cui plurimum quisque debet, hunc maxime diligit, gratumque ei animum demonstrare gestit, videris Tu mihi et colendus praecipue, et quamvis levi, maximo tamen quod habeo, donandus munere. Nam, quod post optimi Patris mortem pro infantia cogitabam, qui meam in se susciperet causam, paterno me amore moneret ac juvaret, fore neminem, longe aliter mihi necopinanti cecidit. Puerum me summâ benevolentiâ excepisti: praeceptis monitisque conformasti: virtutis praestantiam et saluberrimis consiliis, et, cum filii instar in Tua domo versarer, exemplo ipse tuo efficacissime edocuisti. Sed haec ego, licet maxima, tum demum suo pretio habere coepi, cum ad aliquem rationis usum pervenissem. A quo equidem tempore et

prio-

priorum beneficiorum amplitudinem asſecutus, et tua cum publica tum privata inſtitutione fructus, et majora in dies humanitatis, amoris, imo paternae caritatis documenta expertus, plurimum me Summo Dei Numini debere putavi, cum in dilectisſimi Patris deſiderio Te non modo cognatum, fautorem, doctorem praeſtantisſimum, ſed amicum integerrimum, alterum omnino patrem nactus ſim. Atque hoc arctisſimum profecto vinculum eo et ſuavius et majoris mihi momenti ducere ſoleo, quo faciliorem Tui adeundi et in omnibus vitae rebus conſulendi opportunitatem praebet, quoque efficacius ad exſequenda conſilia impellit. Verumtamen licet per decennium ea mihi tribueris, quae homini ab homine tribui ferme posſint maxima, hoc unum praeterea abs te impetrare velim, ut, quemadmodum hactenus, ſic in poſterum et ſtudiis meis praeſis, et vitae rite inſtituendae viam monstres. Sic enim aliquando fore opinor, ut uberrimos ex praeſtantisſimis veterum ſcriptis

fructus percipiam, nec omni rerum humanarum usu et intelligentiâ destituar. Ego vero eâ te constanter et observantiâ et pietate prosecuturus sum, ut in discipulis, qui magis te colat, habeas neminem.

PRO-

PROÖEMIUM.

Animadvertenti mihi saepenumero varias hominum de variis disciplinis opiniones, mirum nonnunquam visum fuit, de gentium historia non aliud aliorum, ut de ceteris, sed unum esse idemque omnium judicium. Cujus quidem disciplinae studium et juvenibus commendatur, et ab eruditissimis viris colitur, et nullis non hominum generibus sic placet, ut, aliis saepe neglectis

ac contemtis doctrinis, hanc tamen unam et suavem et utilem, imo necesſariam opinentur omnes. Verumtamen, quod antea vix perceperam, dein cognovi, historiam non ſine ratione plurimorum omni aevo animos et allicuisſe ad ſe et tenuisſe. Nam profecto, ſive ſuavitatem in disciplina tractanda ſpectas, quae tandem major esſe potest, quam praeteritorum temporum disſitorumque locorum cognitio, ut non tantum illo, quo natus es, aevo, ſed et alio quocumque tibi vivere, ejusque aequalibus interesſe videaris? Sive utilitas quaeritur, in historia haec certe ſuavitati est aequiparata. Ex variorum enim temporum, opinionum, morum, hominum cognitione ad rerum uſum et civilem prudentiam, ad vitam rite agendam, ad ipſam omnino virtutem multum proficimus. Quocirca et ſuavioris doctrinae cupidum rerum varietate oblectat, et virtutis ſtudioſo plurimum prodest, et omnibus ſe hominibus commendat historia.

Quodſi historiae praeſtantiam agnoscunt omnes, illius ſtudium eo majori cum fructu inſtitui conſtat, quo magis ad pragmaticam rationem adigatur. Cujus quidem quae vis ſit, quae excellentia, nostris potisſimum intelligitur temporibus, quibus non tantum gentium res gestae ſim-

ſimpliciter traduntur et memoriae mandantur, verum gravisſimarum cauſae rerum indagantur, earumque proponuntur ſequelae, regiminis formarum univerſe explicatur ratio, ſingulorum in civitate magistratuum exploratur vis, vinculum ſubinde traditur, quod varias ſecum invicem conjungit gentes, comparationes inſtituuntur inter gravisſima antiquorum recentiorumque populorum negotia, verbo, in ipſam gentium inquiritur indolem, ex eaque praeclara quaeque ducuntur.

Et mihi quidem, a quo inde tempore e pueris egresſus hac ratione a ſummis viris historiam tractari audiebam, eorumque ſic tractantium et ſcholis mihi interesſe et ſcripta legere licebat, historicae istiusmodi placere coeperunt disquiſitiones. Quarum equidem ſuavitatem mirabar et ubertatem, cum non tantum res gestae accuratisſime proponerentur, ſed ad has explicandas, et temporum attenderetur et locorum et gentium conditio. Sic autem fiebat, ut, quae antea vel non perceperam, vel perverſe dijudicaveram, plana evaderent et integriorem me judicem nanciscerentur. Tum igitur quo ulterius progrediebar, eo magis philoſophae in historia tractanda rationis agnovi praeſtantiam. Hunc autem meorum ſtudiorum curſum cum animadver-

tisſet Cl. Heusdius, Avunculus carisſimus, et esſet mihi progresſuum qualecumque meorum edendum ſpecimen; id praecipuum ſibi duxit Praeceptor optimus, ut historicum mihi ſuppeditaret argumentum, quod et meis ſtudiis conveniret, nec viribus omnino esſet majus.

Itaque, ut coram ipſo miratus aliquando fueram, peculiarem in Republica Romana exſtitisſe magiſtratum, qui civium mores curaret, quod a nostrae profecto politicae ratione abhorret prorſus; hoc ipſum continuo dignisſimum cenſuit argumentum, de quo, historia duce, disputarem. Illo igitur auctore et adjutore, equidem, in historico potisſimum argumento elaborare gestiens, Cenſoriae apud Romanos et auctoritatis et existimationis causſas explicare conſtitui. Quod conſilium non eo quidem ſpectabat, ut, quae ſaepius agitatae ſunt de Cenſoribus quaestiones, has omnes proponerem et dijudicarem: quippe multae in iis occurrebant ab argumento meo alienae. Attamen, ne temere vagaretur disputatio, anteaquam ad rem venirem, de ipſis Cenſoribus eorumque muneribus, ex probabili eruditorum ſententia, disſerendum duxi. Cum vero peculiaris Cenſorum ratio ex propria potisſimum antiquarum civitatem conditione

ne

ne ducenda videretur, latius ſubinde excurri, nec minus Graecorum quam Romanorum inſtituta exploravi, id nimirum maxime curans, ut, misſis nostri aevi opinionibus, ex antiquae unice politicae principiis rem hancce totam explicarem.

Qua in re ut feci quod potui, non quod volui, ac plurimum abest, ut mihi ipſe ſatisfecerim: ſic tenuitatis meae probe conſcius, in legentium erga me facilitate et benevolentia totus acquiesco. Quibus ſi non prorſus displicuerit opusculum meum, ſed aliquid forte bonae frugis habere viſum fuerit, id ſciant velim, hoc omne me praeſtantisſimis, quos in Literis habui, Praeceptoribus acceptum referre. Nam per quatuor et quot excurrit annos Goudoeverii V.Cl. non ſcholis tantum mihi intereſſe, ſed ſingularem plane benevolentiam experiri licuit. Ad cujus viri conſilia expetenda cum meorum me ſtudiorum ratio ſaepius impelleret, eâ ſemper me excepit humanitate, ſic ſuas mecum tum de ſtudiis prudenter dirigendis, tum vero de hac disſertatione communicavit animadverſiones, ut ingratisſimus profecto et esſem et haberer, ſi ejus beneficiorum ulla dies deleret memoriam. Quandoquidem vero magna quoque ſunt Simonsii et Schröderi V. V. C. C. in me meri-

tita, hac iis opportunitate lubenter gratias ago, quas possum, maximas, eosque aeque ac reliquos Praeceptores enixe rogo, ut suâ me benevolentiâ prosequi, prudentiâ juvare, doctrinâ erudire pergant.

DIS-

DISQUISITIONIS CONSPECTUS.



§. 1.

SECTIO SECUNDA.

SECTIO TERTIA.



C A.

CAPUT PRIMUM.

DE CENSORUM IN REPUBLICA ROMANA MUNERIBUS.

Cicero in praeclaro *de Legibus* opere, in quo leges ad illum, quem in libris *de Republica* probaverat, civitatis ſtatum accommodat, ipſam egregie cenſorii in Republica Romana muneris tradit rationem. *Cenſores*, inquit, *populi aevitates, ſoboles, familias, pecunias cenſento: urbis templa, vias, aquas, aerarium, vectigalia tuento, populique partes in tribus distribuunto: exin pecunias, aevitates, ordines partiunto: equitum, peditumque prolem deſcribunto: coelibes esſe prohibento: mores populi regunto: probrum in Senatu ne relinquunto: bini ſunto: magistratum quinquennium habento*

bento. (1) Dolendum vero quam maxime hujus muneris a Cicerone verosimiliter egregie disputatam communi bonorum naufragio librorum periisse explicationem. Postquam enim in altero et tertio operis libro cum sacras tum civiles civitati suae proposuit leges, de iis cum Attico et Quinto fratre sermones miscet, earumque tam praeclare declarat efficaciam, ut, quo praestantiores hae sunt commentationes, quoque plures supersunt, eo aegrius hujus censoriae explanationis jactura ferenda videatur. Sed nobis jam, ut ordine progrediamur, res ab initio est repetenda.

Postquam Servius Tullius de Vejentibus aliisque Etruscis victoriam reportaverat, contulit se ad ipsam rite ordinandam civitatem; aggressusque est, de Livii sententia (2), istiusmodi opus, quo conditor omnis in civitate discriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunaeque aliquid interlucet, a posteris haberetur. Instituit enim tum civium tum possessionum Censum, secundum quem populum in sex classes divisit et centum nonaginta tres centurias, eoque peracto, omnes cives, in suis quosque centuriis, in Campum Martium convocavit, ubi eos suovetaurilibus lustravit, eumque ritum con-

(1) L. 3. C. 3. (2) Liv. L. 1. C. 42.

conditum lustrum dixit, quia is censendo finis est factus. (1)

Primum quidem ipsi Reges instituerunt Censum. Postea vero Consulibus, uti omnium, quibus Reges functi erant, munerum, sic et Census cura mandabatur (2). Variis autem, quibus hi praeërant, bellis (3), forsan etiam Tribunorum Pl. turbis (4), factum est, ut nec Consules Censui vacarent, et ipsum hoc, civitati utilissimum, per septemdecim annos intermitteretur negotium. Tum igitur difficilem istiusmodi rem et minime Consularem suo viderunt Romani, qui ipsâ rite fungeretur, egere Magistratu, Censuique agendo (5), duos Patricios viros primum praefecerunt, quos *Censores* a munere dixerunt.

Primum igitur hoc munus Patriciis mandabatur tantum, verum anno A. C. 348. C. Marcius Rutilus primus de Plebe Dictator Censuram pe-

---

(1) Idem C. 44. (2) Liv. L. 3. C. 3. Semel eo functus est Dictator Sp. Lartius v. Beaufort *Repub. Rom.* Tom 3. Cap. 4. p. 121. (3) Livius, L. 4. C. 8. (4) Beaufort, l. l. p. 62. (5) Proprie Censoribus subjici dicebatur arbitrium formulae censendi, id est, ut docet Crevier ad Livii L. 4. C. 8. jus statuendi, qua formula, qua ratione quisque censendus esset; quam in tribum, quam in centuriam referendus; quomodo aestimandus cujusque Census.

petiit, atque Tribunorum imprimis Pl. ope hoc ipsi delatum est munus (1). Dein vero Q. Publilius Philo Dictator sanxit, ut alter e Plebe semper crearetur Censor, quin et uterque Plebejus esse posset (2). Hoc autem munere fere semper fungebantur viri Consulares (3). Initio erat quinquennale, quia quinto quoque anno instituebatur Census; brevi post Mamercus Aemilius Dictator ingenti populi consensu legem pertulit, ut ne Censura, quum alii annui essent Magistratus, diutius quam per annum et semestrem duraret (4). Quantopere au-

(1) Liv. L. 7. C. 22. (2) Liv. L. 8. C. 12. Uterque autem Censor plebejus primum fuit a. U. C. 622. V. Livius. Epit. L. 59. Cf. Beaufort l. l. p. 64. (3) Beaufort. l. l. p. 63. Cum autem ipsum illud in disputationis nostrae fine imprimis usu veniret, Beaufortii equidem auctoritate haud acquiescendum ratus, Livianum ipse Indicem cum Censorum tabula, quam exhibet Beaufortius, contuli, vereque eum pronunciasse animadverti. Sub Imperatoribus autem post Paulum Aemilium Lepidum et Lucium Munatium Plancum, ultimos e privatis Censores, (v. Dio Cassius, L. 54. p. 521. edit. Leunc.) Imperator vel solus Censuram gerebat, vel collegam adsciscebat (v. Sueton. In Aug. C. 27.) vel alium munere illo donabat v. Pitiscus in *Lexico Ant. Rom.* voce *censura*. (4) Liv. L. 4. C. 24. L. 9. l. 33. Postremis autem temporibus hic iterum quinquennalis esse coepit Magistratus V. Zonaras L. 2. apud Franc. Hotom. in Thesauro Graeviano Tom. 2. p. 1865. Cf. Beaufort. l. l. p. 63.

autem Censurae, quae primum ad populi Censum agendum referebatur, sensim increverit amplitudo, tum ex Ciceronis, quae supra tradidimus, tum ex Livii optime patet verbis, qui rem, parvis initiis ortam, tanta cepisse tradit incrementa, ut morum, disciplinaeque Romanae penes eam regimen, Senatus, Equitumque centuriae, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus Magistratus, publicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. (1)

Ex hoc autem, uti et ex Ciceronis loco, licet quadrupartitum fuisse pateat Censorum munus, ad duo tamen congrue referri potest capita, quorum alterum pecuniae publicae atque vectigalium administrationem, locorum publicorum viarumque curam, ipsum denique Censum comprehendit, alterum vero morum magisrerio continetur totum.

Et quandoquidem nobis dein de horum munerum erit agendum gravitate et amplitudine, explicandumque, quam illa Censoribus conciliarint auctoritatem, operae pretium profecto videtur, ipsorum munerum hoc loco tradere rationem.

Habebant igitur Censores vectigalium administrationem, ad quae omnis referebatur pecunia, quae portorii, decumarum, scripturae,

sa-

(1) L. 4. C. 8.

falis, vicesimae nomine solvebatur (1), quaeque, suadentibus Censoribus, a Senatu constituebantur (2). Haec igitur vectigalia ad hastam (3), in conspectu populi (4), elocabant in quinquennium Publicanis, Equitibus plerumque Romanis (5), qui, quanta pecuniae summa vectigalia redemerant, tantum Reipublicae apud Quaestores Aerarios, penes quos tabulae aerarii et ita ipsum aerarium erat, solvere debebant (6).

Cen-

(1) v. Sigonius *de Ant. jure Civ. Rom.* L. 1. C. 16. et *de Ant. jure Provinc.* L. 2 C. 8. (2) Etenim ex iis, quae apud Livium L. 4. C. 8. *Vectigalia Populi Romani sub nutu et arbitrio eorum fuere*, L. 40. C. 51. *Portoria quoque et vectigalia multa instituerunt*, L. 29. C. 37. *Vectigal etiam novum ex salaria annona statuerunt*, habentur, non patet ipsos Censores nova vectigalia constituere potuisse; verum Senatus, penes quem hoc jus erat, Censores, ubi res postulabat, de vectigalium constituendorum ratione consulebat, eorumque opinionem cum probasset, ad effectum eam perducere jubebat. Quocirca cum Burmanno istiusmodi Livii loca sic interpretamur, ut vectigalia ista, *inventoribus Censoribus et suasoribus*, instituta fuisse putemus. Vid. Burmann. *de Vectigal: P. R.* C. 7. p. 97. qui disertis veterum testimoniis docet, ipsum vectigalium instituendorum jus Senatui competiisse. Cf. Hegewisch *Historischer versuch über die Römischen Finanzen*, p. 86. (3) Liv. L. 24. C. 18. et L. 43. C. 16. (4) Cicero Agrar. 1. C. 3. *In Conspectu* autem *populi* est *in foro*. (5) Non tamen omnes vicissim Equites erant Publicani v. Sigonius l. l. L. 2. C. 4. (6) Sigonius l. l. L. 1. C. 16. et L. 2. C. 4.

Cenſorum autem Edicta, quae cum alia ſpectabant negotia, tum imprimis vectigalium locationem, *leges* dicebantur *Cenſoriae* (1), eorumque de Reipublicae reditibus tabulae, *Cenſoriae tabulae* audiebant (2).

Altera Cenſorii muneris pars poſita erat in locorum publicorum privatorumque jure. Nam cloacarum, lacuum (3), pontium, viarum, agrorum, templorum imprimis et aedificiorum univerſe publicorum curam habebant; quae omnia etſi rite attenderent, peculiarem tamen in viis ſilice ſternendis atque glareâ ſubſtruendis marginandisque operam poſuisſe et ſic mirum in modum peregrinantium univerſe et in primis exercituum commoditati proſpexisſe videntur (4). Redemtoribus, ſumtibus in id a Senatu conſtitutis (5), haec omnia vel facienda vel reficienda locabant. Sarta tecta eorum operum, quae a prioribus Conſulibus locata erant, exigebant (6). Operibus, quae facienda curabant, publicis nomina ſaepius ſua dabant (7). Praeterea, ſi quae in

(1) Bachius, *in Hist. Jurisp. Rom.* L. 2. C. 2. Sect. 3. §. 15. Exſtat hujusmodi legis fragmentum in L. 203. ff. de V S. (2) Agraria 1. C. 2. (3) Liv. L. 39. C. 44. (4) Liv. L. 41 C. 27. et ad h. l. V. Int. (5) Liv. L. 44. C. 16. Cf. L. 24. C. 18. et L. 40. C. 46. Polybius. L 6. C. 13. (6) Liv. L. 29. C. 37. (7) Exempla vide ap. Liv. L. 9. C. 29. L. 39. C. 44. L. 44. C. 16.

in loca publica inaedificata habebant privati, haec eos demoliri jubebant Censores (1). Porro ludis praebebant equos curules (2), comparabant alimenta anseribus, quos in Capitolio in memoriam servatae ab ipsis Reipublicae alebant Romani (3). Pretia sacreficiorum procurabant (4), Privatis denique, quibus non licebat e canalibus aquam in sua aedificia agrosve derivare, annuo soluto vectigali, illud concedebant (5). Quodsi suo arbitrio fecerant privati, saepe eam publicam aquam, in aedificia hortosve ductam, canalibus rumpendis adimebant (6).

Haec autem Censorum munera uti magni erant momenti, sic amplior longe erat ab iis peragendus Civium Census. Hunc igitur quinto quoque anni in Campi Martii villa publica instituebant (7). Apud ilos tum sellis curulibus insidentes, cives omnes (8), ex Servii Tullii insti-

(1) Liv. L. 39. C. 44. (2) Liv. L. 24. C. 18. (3) Plinius Hist. Nat. L. 10. C. 26. ed. Hard Cf. Cicero pro Roscio Amer. C. 20. (4) Beaufort, p. 73. (5) Pitiscus l. l. voce *aqua*. Si non in Republica adessent Censores, hujus rei cura ad Aediles pertinebat. v. Frontinus *de Aquaeduct. Rom.* apud Graev. Thes. antiq. Rom. Tom 4. p. 1656. (6) Liv. L. 39. C. 44. Plut. in Cat. Maj. p. 347. A. (7) Liv. L. 4. C. 22. Ibiq. Crevier. Antea autem Census instituebatur in foro. V. Sigonius, l. l. L. 1. C. 14. (8) Cives praesentes censeri debebant; verum, si abessent, tamen per

ſtituto, in ſua quisque tribu, clasſe, centuria, nomina ſua, uxorum, liberorum, libertorum, ſervorum profitebantur. Praeterea aetatem, domicilium et posſesſionum ſuarum aestimationem addebant, jurejurando affirmantes, ſe omnium in profitendo posſesſionum rationem habuisſe (1). Quicumque vero non bonâ hac in cauſa fide uſi fuisſe deprehendebantur, una cum bonorum publicatione ipſam amittebant libertatem (2). Pariter, qui ſe cenſeri noluerant, maximam ſubibant capitis diminutionem (3). Ipſi enim a Conſulibus, bona a Cenſoribus venumdabantur (4). Bonorum autem aestimatione ſolebant ſubinde plura comprehendere (5), quam quae ea contineri vulgo habebantur, eaque ipſi, quanti vellent, aestimare; unde cum maximopere ipſum augeretur tributum, magni Cenſum fuisſe momenti, nemo non continuo videt.

Haec

---

per procuratorem cenſebantur. Vid: Sigonius l. l. L. 1. C. 14. Manutius *de Civ. Rom.* apud Graevium l. l. Tom 1. p. 32. Cf. Beaufort, l. l. p. 68.

(1) Dionyſius Hal. L. 4. C 15. p. 212. Accurate autem apud Sigonium, l. l. L. 1. C. 14. traditur, quae ad posſesſiones referrentur. Ipſe autem cenſendi ordo petatur e Pitisco l. l. voce *cenſendi.* (2) Beaufort, l. l. p. 67. (3) Cicero pro Caecina. C. 34. (4) Sigonius, l. l. L. 1. C. 14. (5) Cicero Verrina 8. C. 53. Cf. Sigonius, L. 1. C. 14.

Haec autem, quae profesſi erant cives, in tabulas ſuas referebant Cenſores; eaeque in aede Nympharum ſervabantur. Quibus omnibus peractis, ex ſuo quique Cenſu in clasſes et centurias referebantur cives, ſecundum quae tributa ſolvebant; et major eorum, minorve in centuriatis comitiis erat auctoritas. Subinde etiam, ubi res poſtulabat, novas Cenſores addebant tribus; eas etiam generibus hominum, cauſis, et quaestibus deſcribebant (1). Poſt Cenſum, is Cenſor, cui ſors condendi luſtri obtigerat, in Campo Martio pro populo, in clasſes et centurias distributo, Diis coronatus et praetextatus gratias agebat, vota perſolvebat, Deosque rogabat, ut populi Romani rebus proſpicerent (2). Tum ſacrificio de ſue, ove et tauro ter circum populum ductis ſuaque manu percusſis eum luſtrabat; quod ſi proximo quinquennio ingens calamitas accidisſet, vel mortuus esſet alter Cenſor, luſtrum condere non licebat. (3)

Hoc autem loco posſunt plurimae inſtitui quaestiones de variis, qui cenſendi erant, hominum generibus; nam quaeri ſolet, utrum tantum ingenui an etiam libertini cenſerentur; utrum tantum, qui in urbe domicilium habebant, an etiam

(1) Liv. L. 40. C. 51. ad quem locum cf. omnino Crevier. (2) Valerius Maximus. L. 4. C. 1. Ex. 10. (3) Liv. L. 24. C. 43.

etiam qui extra eam habitabant; num ad municipes et colonos census etiam pertineret; quas quidem quaestiones ideo non enucleamus, quia, quid de iis probabiliter sit statuendum, in eruditissimorum virorum dissensu, nobis nullo modo constat.

Quum autem Censoribus nonnulli tabularum et librorum curam mandatam fuisse statuant; videamus, quid de eo probabiliter sit existimandum. Quicumque hanc penes Censores custodiam fuisse putant, suam Livii verbis probant sententiam, qui, quum Consules Censui faciendo vix vacare possent, mentionem a Senatu illatam fuisse tradit: *rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu egere, cui scribarum ministerium, custodiaque et tabularum cura* subjiceretur (1). Verum haec tabularum custodia unice ad tabulas Censorias atque eas, quae de Reipublicae reditibus instituebantur, pertinere videtur. Etenim in tertio de legibus libro suae quidem civitati praescribit Cicero: *Censores fide legem custodiunto*; verum aegre quam maxime fert, Romae non haberi tabulis librisque praepositos Magistratus, sed esse eos penes apparitores. Quocirca, *haec*, inquit, *detur cura Censoribus* (2), unde lucu-
len-

(1) Liv. L. 4. C. 8. (2) L. 3. C. 20. Pro *detur* alii

lenter patet, Livii locum immerito tam lata accipi significatione.

Ultimo loco memoranda est, quae penes Censores erat, morum cura; quam quidem gravisſimam muneris partem ita ſumus adumbraturi, ut primum, quae variae Cenſorum in varios homines esſent notae, declaremus; tum inquiramus in cauſas, quare notarent; ac denique, quae earum esſet vis, quoad ejus a nobis fieri potest, breviter et accurate tradamus.

Notarum igitur, quas inſtituebant Cenſores, quatuor potisſimum fuere genera; nam vel Senatores Senatu ejiciebant, vel Equites equo publico privabant, vel cives ex tribu honoratiore in minus honestam transferebant, vel denique eos aerarios faciebant.

Quum igitur jus legendi Senatus (1) post legem Oviniam Tribunitiam (2) penes Cenſores es-

alii volunt *mandetur*. V. apud Daviſium ad h. l. Cf. Demſterus ad Roſini *Ant. Rom.* L. 3. C. 31.

(1) Qua in re attendebant ordinem et genus, Cenſum, aetatem, magiſtratum, mores. (2) Putat Beaufortius, Cenſores jam antea hoc jus habuisſe l. l. vol. 1. p. 375 ſqq. Verum, de probabili Ruhnkenii ſententia, exactis Regibus, primum Conſules aut Tribuni Militum Conſ. Pot., dein vero post legem Oviniam inter annum 319 et 341 U. C. latam (v. Drak. ad Livii L. 39. C. 42.) Cenſores Senatum legerunt. Etenim Festus voce *praeteri-*

esſet, quumque quinto quoque anno in Senatorum mores inquirerent, eo honore indignos munere ſolebant privare, tantummodo eos in legendis Senatorum nominibus praetereuntes, nec nomen eorum albo Senatorio amplius inſcribentes (1). Plerumque tamen motis Senatu ſubſcriptiones adſcribebant, id est, cauſas, cur moti esſent; unde Catonis aliorumque exſtiterunt orationes in eos, quos vel Senatu moverant, aut equis privaverant (2). Tum etiam uterque Cenſor remotionem, vel equi privationem, vel alias notas omnes probare debebat; unde altero disſentiente, alterius nullius momenti erat nota (3).

Equites autem, quos etiam ex Cenſu (4) lege-

teriti, quem locum Ruhnkenius in *dictis Msstis Antiq. Rom.* explicat, haud mentionem fecisſet Tribunorum Militum Conſ. pot. ſi Cenſores inde ab anno 310 jus legendi Senatores habuisſent, quandoquidem et Tribuni et Cenſores eodem anno primum creati ſunt. Cf. omnino Drakenb. ad Liv. l. l.

(1) Vid. Dacier ad Festum voce *praeteriti* Cf. Crevier ad Livium L. 9. C. 30. Quem vero primum recitabant, erat Princeps Senatus, de quo Vid. Paulus Manutius de *Senatu Romano* apud Graevium l. l. Tom. I. p. 90. (2) Nam in primis in notandis viris illustrioribus has notas addebant. Vid. Beaufort l. l. p. 92. (3) Liv. L. 40. C. 51. L. 42. C. 10 Cf. Beaufort l. l. p. 96. (4) Cenſus Senatorum variis temporibus erat varius, florente Repub. octingintorum mil-

gebant, ita notabant, ut eos publico equo, quem ipsis assignaverant (1), et annulo aureo privarent (2); quo facto ad ordinem illi Equestrem pertinere desinebant (3). Hac ratione cum in pravos Equitum mores animadvertebant, tum eos notabant, qui equum negligenter curabant (4). Solebant enim Equites trabeati Idibus Quinctilibus solemni eorum transvectione in forum ad Censores venire, suum quique equum manu ducentes; qui si retinere sinerent, poterant abire, sin minus, equum illis adimebant, equumque vendere cogebant (5).

Porro cives ex honoratiori tribu in minus honoratam referebant Censores. Tribus enim, in quas populus descriptus erat, *urbanae* dicebantur et *rusticae*. In illas conscribebantur omnes, qui nec rura habebant, et erant libertini; in has contra referebantur agrorum possessores, modo ingenui essent; nam et libertini, utut agros pos-

---

millium numorum sestertiorum: Equitum autem Census erat quadringentorum millium sestertiorum. V. Horat. Epist. L. 1. Ep. 1. v. 57.

(1) Sigonius l. l. L. 2. C. 3. (2) Manutius l. l. apud Graevium l. l. p. 32. (3) Beaufort l. l. p. 88. Dicebantur autem *impolitiae* notari, id est, *incuriae*, ut ait Gellius N. A. L. 4. C. 12. (4) Idem l. l. (5) Manutius l. l. p. 33. Pitiscus l. l. voce *Equites* p. 726.

posſidentes, urbanae tamen adſcribebantur tribui (1); unde patet rusticam urbanâ longe honoratiorem fuisſe tribum. Jam vero Cenſores ita nonnunquam animadvertebant, ut cives vel ex rustica nobili in aliam rusticam minus nobilem, vel ex rustica in urbanam referrent

Quarto denique loco, quotquot gravius commiſisſent delictum aerarios faciebant Cenſores (2), quorum nomina ex albo centuriae ſuae delebantur, atque tributum multiplicabatur (3).

His igitur notis ita animadvertebant Cenſores, ut plures ſubinde ſimul inferrent: cives enim ſaepius non tantum tribu movebant, ſed et aerarios faciebant. Senatores autem, ſi gravius de-

(1) Vid. Manutius *de Comitiis Rom.* apud Graevium l. I. p. 487., qui omnino de tribuum numero aliisque eo pertinentibus conf. meretur. (2) Quaeritur hoc loco, num aerarios Cenſores in Caeritum tabulas referre posſent; Romani nimirum Caeritibus, qui belli Gallici temporibus Virgines Vestales ſacraque receperant (Vid. Livius L. 5. C. 40.) civitatem ſine jure ſuffragii concesſerant; quocirca in Caeritum tabulas relati, jure ſuffragii plane fuisſent destituti. Disputant de eo acriter viri docti, nec facile res ad liquidum potest perduci. Negantium tamen, Beaufortii imprimis, mihi praeplacet opinio ob Livii locum L. 45. C. 15. Cf. tamen Conſ. van Geuns in Disp. *de Infamia Leg: Rom. constituta* p. 17. (3) Patet hoc ex Livii L. 4. C. 24 ubi Cenſores octuplicato cenſu aliquem aerarium fecisſe leguntur.

deliquisse viderentur, cum plerumque essent Equites, et Senatu movebant nonnunquam, et equo privabant, et in aliam tribum referebant, et aerarios faciebant; uti hoc de iis constat, qui in summo rerum discrimine Italiam deserere studuerant (1).

Et sic quidem propositis, quas Censores inurere solebant, notis, operae pretium est videre, quas maxime ob causas notarent. Etenim de hoc magistratu non ita est existimandum, ac si penes eum esset, quaevis civium crimina et delicta punire: verum pertinebat Censorum animadversio omnium maxime ad ea vindicanda vitia, quae legibus vix obnoxia erant. Cum igitur id Romanis imprimis curae esset, ut ne mores corrumperentur, Censorum erat, hos omni ratione integros servare, absque omni labe immunes. Quocirca in ignaviam in primis, luxuriam, mollitiem, coelibatum, omnem denique indolis morumque perversitatem gravissime invehebantur.

Sic ignaviam eorum notabant, qui in bello haud strenue rem gesserant, vel officio minus erant perfuncti. Nam quadringentos Equites, quorum maxima fuerat in castris, jussu ducis, mu-

(1) Liv. L. 24. C. 18. Cf. L. 22. C. 61. ubi idem traditur de legatis illis, qui Hannibali datum jusjurandum eludere studuerant.

muniendis, negligentia, re comperta, et equis privasse, et aerarios fecisse feruntur (1). Ob ignaviam pariter Caecilium Metellum Quaestorem, aliosque nobilissimos juvenes, qui post Cannensem cladem Italiam relinquere voluerant, omnibus notis dedecorarunt (2).

Animadvertebant porro in eos, qui non eandem, quam vicini, id est, summam, in agris colendis curam ponebant et diligentiam, nec cives pro lubitu aes alienum contrahere patiebantur (3).

Neque minus in domesticam civium vivendi rationem inquirebant. Luxum, mollitiem omni ratione impugnare studebant, unde eos acriter notabant, quorum nimius in re domestica luxus, nimiive in conviviis sumtus erant (4). Sic Cornelium Rufinum, Consulatu et Dictatura functum, triumphi honore insignem, Senatu moverunt, quia eum compererant argenti facti, coenae gratiâ, decem pondo habere (5).

Coe-

(1) Valerius Max. L. 2. C. 9. Ex. 7. (2) Liv. L. 24. C. 18. (3) Gellius N. A. L. 4. C. 12, ubi tales aerarii fieri dicuntur. Beaufort l. l. p. 77. (4) Plutarchus in Catone Maj. p. 345 B. (5) Gellius N. A. L. 17. C. 21. Argentum autem factum est vasa argentea, teste Manutio *de civ. Rom.* apud Graevium l. l. Tom. 1. p. 35. Cf. Liv. Epit. L. 14.

Coelibes porro notabant et poenae nomine *aes uxorium* solvere jubebant (1). Peculiarem autem ipsos matrimonii habuisse curam, atque spectasse, ut firma esset et stabilis haec vitae conditio, ex Marci Antonii patet exemplo, quem, cum uxorem, nec parentibus nec amicis in consilium adhibitis, repudiasset, Senatu ejecerunt (2).

Gravissime etiam Censores in perfidos et perjuros animadvertebant. Cum enim Romani tam in contractibus privatis, quam in publica civitatis administratione tanta religione fidem colerent atque jusjurandum, ut, teste Polybio, perfidiae aut perjuriae diu vix quispiam reus deprehenderetur; mirum profecto non est, et optimis temporibus hanc fidei et jurisjurandi sanctitatem aluisse Censores, et vero, moribus a pristina virtute deflectentibus, severos eos fuisse avitae integritatis vindices ac statores (3). Unde factum, ut non tantum perjuros notarent, sed et eos omnibus subinde notis castigarent, qui jurisjurandi vim elidere studuerant (4).

De-

(1) Valerius Max. L. 2. C. 9. Ex. 1. Festus in voce *uxorium* et ad h. l. Scaliger. et Dacier. Ceterum eos ipsa civium attendisse matrimonia patet e Plut. in Cat. Maj. p. 345 B. (2) Valerius Max. L. 2. C. 9. Ex. 2. (3) Lib. 6. C. 56. Cf. Cicero de Orat. L. 2. C. 90. (4) Cujus rei exemplum v. apud Liv. L. 24. C. 18.

Denique omnia notabant Censores, quae morum bonitati vel leviter adversarentur. In ipsa adeo facta dictaque inquirebant, quae sive publice sive privatim admissa honestati repugnabant. Sic M. Duronium, quia legem sumtuariam de conviviis impugnaverat, Senatu ejecerunt (1). Eadem ignominia, virum omnium opinione Consulatu dignissimum, Manlium affecit Cato, quia uxorem interdiu, in conspectu filiae, fuerat osculatus (2). Imo vero vindicabant magistratuum reverentiam, videbantque, num suus omnibus tribueretur honos (3).

Cum igitur haec maxime in civitate vitia attenderent, suisque notis castigarent Censores, jure hoc loco de eorum, quos notaverant, conditione, id est, de notarum vi, quaeri solet. Etenim tam peculiaris illa fuit, ut, qui inter Censorias notas atque poenas, ab aliis magistratibus inflictas, non accurate distinguant, a vero longe abesse videantur. Primum enim Censorum notae dici vix possunt poe-

(1) Valerius Max. L. 2. C. 9. Ex. 5. Tiberius Gracchorum pater solebat Censor in eos animadvertere, qui ad multam noctem conviviis et poculis indulgebant. V. Plut. in vita Gracc. p. 831 A. Cassius Longinus et Caepio Censores Lepidum Aemilium adesse jubebant, quod sex millibus aedes conduxisset. Vell. Pat. L. 2. C. 10. (2) Plut. in Cat. p. 346 C. (3) Exempla v. apud Gellium N. A. L. 4. C. 20.

poenae. Nam neque cives carcere coercere, neque poenâ pecuniariâ proprie afficere poterant, nec infamiam, verum *ignominiam* pati dicebantur notati (1). Quodsi Censores in ea animadvertebant vitia, quae legibus quodammodo obnoxia erant, poterant etiam delinquentes judicis condemnari sententia: nam, ut Cicero tradit, nunquam animadversionibus Censoriis ita steterunt Romani, ut rebus judicatis (2). Poterant porro, in quos invecti fuerant Censores, cum populi suffragiis, tum judiciis juratorum absolvi (3). A judicibus damnati in perpetuum omni et honore privabantur et dignitate, a Censoribus notatis aditus ad honores, reditus in Senatum patebat, nam et proximis Censoribus illatam ignominiam delere licebat. Sic L. Metellus, quem cum nobilissimis juvenibus post cladem Cannensem Italiam relinquere voluisse vidimus, a Censoribus equo privatus, tribu motus, aerarius factus, dein populi suffragiis creatus fuit Tribunus Pl. (4), cui tamen Censores suum in Senatu locum denegarunt (5). Pariter Mamercum Aemilium a Censoribus, quia Censurae tempus minuisset, notatum (6) dein A. Cornelius Cos-

(1) Van Geuns l. l. p. 18. (2) Pro Cluentio C. 42. (3) l. l. C. 43. Cf. C. 45. (4) Liv. L. 24. C. 43. (5) Idem L. 27. C. 11. (6) Idem L. 4. C. 24.

Cosſus Tribunus Militum Conſ. Pot. Dictatorem dixit (1). Cajus vero Geta, quem Q. Metellus et Cn. Domitius Cenſores e Senatu ejecerant, a proximis Cenſoribus hac nota liberatus, ipſe poſtea Cenſor fuit; et ita, cujus mores a Cenſoribus erant reprehenſi, hic poſtea et populi Romani, et eorum, qui in ipſum animadverterant, moribus praeſuit (2). Quae cum ita ſint, merito judices rogat Cicero, quî tandem hae notae appellentur judicia, quae a Populo Romano reſcindi, a juratis judicibus repudiari, a magiſtratibus negligi, ab iis, qui eandem poteſtatem adepti ſunt, commutari poſſunt (3). Quocirca notis ſuis famam ignominiâ et damno inquinabant Cenſores, neque eorum judicium damnatis quidquam praeter *ruborem* afferebat (4).

Haec de graviſſimis Cenſorum muneribus dicenda putavimus, quibus addi poſſunt plurima, quae Edictis ſuis conſtituere poterant, negotia, veluti de hominibus edicebant, qui, quoque numero metallis eſſent adhibendi, aliaque tam Romae proponebant, quibus quasvis reprimerent

---

(1) l. l. C. 31. Pariter in ludis L. Quintii maculam lenivit Populus. V. Plut. in Catone Maj. p. 340 C.
(2) Cicero pro Cluentio C. 42. (3) l. l. C. 43.
(4) Nonius voce *ignominia*.

rent turbas, quam extra urbem, ut civitatis reditus rite adminiſtrarentur (1).

Cum igitur haec omnia deſcripſimus munera, operae pretium est jam obſervare nonnulla, quae huic magistratui propria prorſus privaque fuisſe videntur, Primum enim Cenſores non, uti caeteri magistratus, aliquamdiu deſignati erant; verum, quam primum populi ſuffragiis creati erant, munere fungi incipiebant (2), praestito tamen prius jurejurando, omnia ſe ſummâ diligentiâ et justitiâ peracturos, curaturosque, ut ne ullo ducerentur partium ſtudio (3). Magistratu abeuntes iterum jurabant, ſe nihil contra leges fecisſe, unde dicebantur *jurare in leges* (4), tum in aerarium descendebant, nominaque eorum, quos aerarios reliquerant, edebant (5).

Quodſi in magistratu alter Cenſor moreretur, primum in ejus locum alius ſufficiebatur, dein vero, cum Roma a Gallis lustro capta erat, quo alius in mortui locum creatus erat Cenſor, conſtitutum, ut ne in posterum hoc amplius obtineret (6) et ſuperſtes Cenſor magistratu abdicaret (7).

Hoc

(1) Beaufort p. 99. (2) Liv. L. 40. C. 45. (3) Zonaras L. 7. p. 349. Cf. Hottom. ap. Graev. Tom. 2. p. 1865. (4) Liv. L. 29. C. 37. Ibique Crevier. (5) Liv. l, l. (6) Liv. L. 5. C. 31. (7) Liv. L. 6. C. 27.

Hoc autem Cenſorum munus cum tam amplum esſet, facilemque anſam praeberet poteſtate abutendi, imo in cives dominandi, primum C. Marcius Rutilus, altera vice Cenſor, probante populo, conſtituit, ut ne bis idem hoc munere fungeretur (1). Veruntamen vel ſic etiam poterat, vel nimia vitae morumque auctoritate, vel partium ſtudio vehementer hic civibus moleſtus esſe magiſtratus. Sic, ut his utar, Mamercum Aemilium non ob morum aliquod vitium, verum propter imminutam Cenſurae poteſtatem, tribu moverunt, octuplicatoque Cenſu fecerunt aerarium (2). Pariter Cato, postquam Scipionem Africanum, quo cum inimicitiae ipſi intercedebant, diu fruſtra petierat, dein Cenſor ejus fratrem Lucium equo privavit, idque ab omnibus in Africani contumeliam feciſſe judicabatur (3). Alii praeterea Cenſores ob levisſimas cauſas gravius, quam par erat, in cives animadvertebant, unde variae, quae auctoritatis abuſum coercerent, exſtiterunt leges. Primum enim, non ſemper Cenſorum ſententiam probabat Populus, ſaepiusque in notatis amplisſima munera, ipſam adeo Cenſuram deferebat (4). Prae-

(1) Valerius Max L. 4. C. 1. Ex. 3. Plut. in Coriol. p. 214 A. (2) Liv. L. 4. C. 24. (3) Plut. in Cat. M. p. 344 D. et 346 D. (4) V. p. 21.

Praeterea, quod huc imprimis facit, voluerunt Romani, ut alterius Cenſoris notas probaret alter, nec, disſentiente alterutro, Cenſoria animadverſio rata haberetur (1), unde dici vix poteſt, quantum et in publicam civitatis et in privatam uniuscujusque conditionem redundaret utilitatis. Sic enim ſuis viribus valens nullisque fere limitibus circumſcripta poteſtas, bilancis inſtar, ab altera parte alteri oppoſitum momentum nacta, haud facile tollebatur, atque in ipſam Rempublicam dominari poterat. Cives autem, cum vel injustis vel nimium ſeveris collegarum notis ſe plerumque opponerent Cenſores, tuti ita erant cum ab adverſariorum malignitate, tum a religioſis nonnullorum animadverſionibus. Attamen haec, ad notandum requiſita, conſentiens utriusque Cenſoris ſententia, utut civitati utilisſima esſe posſet, cavendum tamen, ut eam ſemper Reipublicae profuisſe cenſeamus; ſiebat enim ſubinde, ut, quae privatae ipſis ſecum invicem intercedebant, communi omnium ſaluti anteponentes inimicitias, collegarum notas impugnarent Cenſores, neque igitur quidquam efficeretur; unde ſummam ſemper

(1) Ex. V. apud Liv. L. 40. C. 51. L. 42. C. 10. L. 45. C. 15.

per in eo curam ponebat Senatus, ut ad odium mittendum eos exhortaretur (1).

Quaeri autem hoc loco potest, num Censores rationibus reddendis fuerint obnoxii, nam, licet ipse hoc neget Dionysius Hal. (2) sunt tamen, quae ejus fidem dubiam faciant, contrariamque probent sententiam, luculentis sane documentis. Primum enim, unum si excipias Dictatorem, omnes Romae magistratus rationes reddere debuerunt. Accedit praeterea, quod apud Livium, C. Claudius et Tib. Sempronius Gracchus, P. Rutilio Tribuno Pl. iis diem dicente, causam ad populum dixisse memorantur, cum etiamnunc munere Censorio fungerentur (3), unde haud immerito efficitur, certissime eos post justum magistratus tempus privatos reddidisse rationes. Ne autem quis nostram sententiam infirmari putet alio apud Livium item obvio loco, quo Cn. Baebio Tribuno Pl., diem utrique Censori ad populum dicenti, Senatus adversatus fuisse traditur (4), animadvertimus, nunquam fere Senatum nimiam probasse populi in magistratus inquisitionem, nec ullo modo ejus ferre potuisse de istiusmodi viris judi-

(1) Egregie de hac re Metelli ad Censores exstat apud Livium oratio L. 40. C. 46. (2) In excerptis p. 748. Ed. Sylb. (3) L. 43. C. 16. (4) L. 29. C. 37.

dicium, qui ipſi populi moribus praeesſent, unde facile eveniret, ut populari aurae obnoxia esſet Cenſura.

Prouti autem rationes populo reddere debuerunt Cenſores, ſic in ſemet invicem animadvertere, alterque ab altero notari potuisſe videtur. Apud Livium certe Claudius Nero et M. Livius Salinator Cenſores ſe invicem equis privasſe et aerarios fecisſe memorantur (1).

(1) L. 29. C. 37.



C A-

CAPUT SECUNDUM.

DE CENSORUM IN REPUBLICA ROMANA AUCTORITATE ET EXISTIMATIONE.

Cum jam pro viribus Cenſorum in Republica Romana deſcripſimus munera, ad ipſum nunc, de quo disputare conſtituimus, disſertationis progredimur argumentum, proximumque est, ut uberius, quam Cenſores habuerint, et auctoritatem proponamus et existimationem. Quandoquidem vero de nulla facile re probabiliter disſeri potest, niſi quod qualeque ſit illud, de quo agitur, prius et declaretur et percipiatur, requiri hoc loco putamus, ut, antequam Cenſorum memoremus auctoritatem et existimationem, primum, quae ſit auctoritas, quae existimatio, et quo nomine a ſe invicem distinguantur, adumbremus.

Auctoritatem igitur hoc loco volumus eam, quam

quam a munerum amplitudine mutuantur magistratus. Ita enim, qui posſunt jubere, vetare, dicuntur habere *auctoritatem*, quae eo major esſe ſolet, quo amplior est haec jubendi vetandique potestas. Existimatio vero univerſe aliorum hominum notat de nostris moribus opinionem, atque fere ſemper in bonam ſumitur partem. Quodſi hanc homines existimationem verbis declarant, *laus*, ſin rebus, *honos* dicitur. Hoc ſenſu alios laude et honore complectimur, ſi magnifice de illorum virtutibus existimantes, magni illos facimus, obſervamus, veneramur. Istiusmodi existimatione esſe etiam intelliguntur magistratus, quos cives colunt, diligunt, in oculis ferunt. Atque inde gravisſimum percipitur, quod inter utramque vocem intercedit, discrimen. Nam uti auctoritas, qua valent magistratus, in ipſorum munere, ſic eorum existimatio in civium poſita est opinione.

Cum autem munerum amplitudini, ut reliqui magistratus, ſic et Cenſores ſuam potisſimum debuerint auctoritatem, is maxime in disputando probandus videtur ordo, ut, quemadmodum ſupra a levioribus fere ad graviora eorum munia progresſi ſumus, ſic hoc loco, munerum habita ratione, quam a ſingulis mutuarentur, exponamus auctoritatem; existimationem vero, cum eodem disputationis curſu difficilius contineri posſe videatur, ſeparatim tradamus.

De

§. 1.

De Auctoritate Cenſorum.

Ex vectigalium, quam habebant Cenſores, administratione haud peculiarem ſibi comparasſe videntur auctoritatem. Licet enim nova ſubinde vectigalia Senatui ſtatuenda proponerent (1), jus tamen eorum conſtituendorum procul dubio penes Senatum fuit. Ipſi tantummodo ea elocabant, atque eatenus quaedam illorum erat auctoritas, quatenus Cenſoriis ſuis legibus multa, quae huc ſpectabant, ſtatuere poterant, cujus rei in eo est exemplum, quod edicto ſubinde eos ſummovebant, quibus locare nolebant (2). Quin ſi ipſum vectigalium conſtituendorum jus Cenſores habuisſent, haud tamen eam exinde comparare potuisſent auctoritatem, quae non aliis competeret magistratibus.

Majorem longe auctoritatem nanciscebantur ex locorum publicorum privatorumque cura. Sic enim poterant aedificia aliaque opera facienda reficiendaque locare. Poterant item magnam in cives vim exercere, cum aquis publicis, quas canalibus in uſum ſuum derivaverant, ipſis adi-

(1) Vid. p. 6. not. 2. (2) Liv. L. 39. C. 44.

adimendis, tum aedificiis eorum, si paululum in publicum prominerent, demoliendis, in quibus omnibus quum liberrima eorum esset potestas, non una omnium fuit hac in causa agendi ratio, sed alius alio majorem exercuit auctoritatem. Huc autem omnium maxime pertinet templorum, quae locis publicis continebantur, cura. Nam, licet Censorum auctoritas exinde non majus, quam ex aliis publicis locis, ceperit incrementum, peculiarem tamen, nec aliis magistratibus propriam eorum reddidit rationem, omninoque effecit, ut non tantum civile, seu sacrum quodammodo et sacerdotale eorum esset munus.

Haec autem auctoritas maximopere augebatur Censu. Cum enim apud eos cives possessiones profiteri deberent, primum quidem eorum, qui vel in aestimatione mala fide egerant, vel se censeri neglexerant, bona publicabant (1): tum vero ea bonorum aestimatione poterant, quae vellent, comprehendere, eaque ipsa pro lubitu aestimare. Sic M. Porcius Cato et L. Valerius Flaccus Censores ornamenta, vestes muliebres, vehicula, utensilia, quae pluris quam quindecim millium aeris erant, censu comprehendi jusserunt. Mancipia autem, quae decem millibus aeris

(1) Vid. p. 9.

aeris venerant, decies (1) tanto pluris, quam quanti essent, aestimarunt, atque his rebus terni in millia aeris addiderunt (2). Pariter Censores Mamerci Aemilii, post legem de minuendo Censorii muneris tempore perlatam, octies pluris aestimarunt censum, quam quanti revera aestimari debebat (3); unde merito Festus, Censores, inquit, dicuntur, quod rem suam quisque tanti aestimare solitus sit, quantum illi censuerint (4), et Varro, Censor est, ad cujus censionem, id est, arbitrium censetur populus (5).

Ex his autem, quae hactenus declaravimus, uti magnam fuisse patet hujus magistratus auctoritatem, sic peculiarem prorsus eam fuisse ex morum demum, quam habebat, intelligitur cura. Eâ enim uti Principes in civitate viros Senatu ejicere, equo privare, tribu movere, sic cives universe ita notare poterant, ut, qua unice gloriabantur, vim in comitiis amitterent prorsus, et ita revera cives esse desinerent. Cujus Censoriae auctoritatis quo melius percipiatur amplitudo, attendere operae pretium est cum Romani Senatus dignitatem, tum Romanorum de civitatis jure opinionem.

Ut

(1) *Decies* pro *Decem* legendum monet Crevier ad Liv. L. 39. C. 44. (2) Liv. l. l. Plut. in Cat. Maj. p. 346. E. (3) Liv. L. 4. C. 24. (4) De Verb. Sig. voce *Censores*. (5) De Ling. Lat. L. 4. p. 24. Ed. Bipont. Cf. Sigonius, *de Ant. jure Civ. Rom.* L. 1. C. 14.

Ut igitur ex clasſico imprimis Polybii loco rem univerſe exponam, Senatus aerarii habebat dispenſationem, deque Reipublicae ſumtibus et reditibus ſtatuebat. Legatos vel concilandae pacis, vel belli indicendi, vel imperandi, vel quarumcumque rerum cauſa mittendos ſua auctoritate legabat. Exterarum gentium legationes audiebat, earumque cauſas dirimebat. Imperatores deligebat, iisque ob res bene gestas triumphum concedebat. De ſociorum controverſiis, de delictis tam in Italia quam in Provinciis commisſis cognoscebat. In ipſis Comitiis Curiatis et Centuriatis nil agi poterat, niſi antea Senatus approbasſet, neque perfici quidquam, niſi SCto confirmatum esſet (1), unde merito a Cicerone Senatui ipſe populus moderandi et regendi ſui potestatem, quaſi quasdam habenas, tradidisſe dicitur (2). Hujus autem amplisſimi conſilii ii tantum participes erant, qui primum a Regibus, tum a Conſulibus et dein a Cenſoribus erant lecti. Qui cum in legendo et ordinis generisque, et cenſus, et aetatis, et magistratuum, et vero morum haberent rationem, atque ita difficillima esſet ad hanc dignitatem via, factum est, ut, qui illa fungebantur, magnâ, tam ob muneris am-

(1) Polyb. L. 6. C. 13. Cicero in Vatinium C. 15.
(2) De Orat. L. 1. C. 52.

amplitudinem, quam ſuas ipſorum laudes, apud omnes esſent existimatione. Hinc igitur variae, quae apud antiquos exſtant, Senatus laudes. Nam et ſanctisſimus ordo, et urbis ornamentum, et ſplendor civium habebatur. Nec ſolum ob muneris dignitatem tantus huic magistratui conſtitit honos, verum ipſis Senatoribus evidens inesſe debuit prudentiae, gravitatis, majestatis ſignificatio, qua ita ſe commendarent, ut et exteri univerſe magni illos facerent, et Pyrrhi legati urbem Romam ſibi templum, Senatum autem Regum conſesſum viſum fuisſe dicerent (1). Quocirca cum tanta hujus ordinis et potestas esset et existimatio, quantam exterae adeo gentes ſuspicerent et colerent, quae tandem amplior, quam Cenſorum, excogitari potest auctoritas, penes quos ut legendi Senatores, ſic praetereundi amplisſimique honoris adimendi, fuerit potestas?

Verum hujus auctoritatis amplitudo magis etiam ex veterum intelligitur de civitatis jure opinionibus. Summus antiquitus habebatur honos, inclytae, praeque ceteris excellentis, civitatis esse participem. Quo nomine quum et in Graeciâ Sparta et in Italiâ Roma celebraretur, fiebat ut vicinae gentes summo ſtudio his civitatibus adſcri-

(1) Florus L. 1. C. 18.

scribi niterentur. Verum, ut ne, cum omnibus hoc honore communicando, ejus integritatem minuerent, varias excogitarunt formas, quibus cum aliis minore cum dignitate tribuerent. Hinc factum, ut, licet Spartanae civitatis Lacedaemonii, Romanae autem Latini, Socii, Itali, Provinciales participes essent, minore tamen, quam ipsi Spartani aut Quirites, fruerentur et honore et auctoritate in ipsius, cui adscripti erant, civitatis concionibus (1). Quod quum hae gentes aegerrime ferrent, id praecipue curabant, ut eadem, quae Quiritium, sua fieret conditio; et quandoquidem irriti eorum fere erant conatus, nobile tandem illud Sociale moverunt bellum, quo effectum, ut Romanam civitatem consequerentur omnes. Cum igitur aliae gentes summa infima moverent, ut plenissimum illud civitatis jus assequerentur, et ita in populi conciones vim haberent, intelligitur profecto, quantopere ipsi illo gloriarentur cives Romani, qui non beneficii loco, sed a parentibus, civibus Romanis, illud acceperant, inque eo velut nati et educati erant. Hi igitur hujus juris et honori et emolumentis assueti, tanti illud habebant, omnia ut potius, quam civitatis jus imminutum fer-

(1) Cl. van Heusde in Diat. *in Ant. civ.* p. 51 - 54.

ferrent. Et vel fic tamen poterat illud cum capitis diminutione adimi, tum Cenforum notis infringi. Etenim quamprimum aerarii fierent, licet nomine cives Romani esfent, tantilla tamen eorem in Comitia vis erat et auctoritas, ut ab eorum fuffragiis vix quidquam penderet. Hinc igitur efficimus, tantam Cenforum fuisfe auctoritatem, quantam aliis fere nullis magistratibus competiisfe conftet. Nam utut magna esfet Praetorum, Tribunorum Pl., Confulum potestas, multis tamen haec adjuta et ornata dignitatis infignibus, magis vel in civitatis adminiftratione, vel in fingulis civibus coercendis puniendisque verfabatur, quam in eorum et honoribus minuendis et civitatis juribus infirmandis. Cenfores autem, licet nulli ipfis apparerent Lictores, nec legum ferendarum, Comitiorumve convocandorum jus haberent; licet haud de civium vita et nece ftatuere, nec carcere eos coercere posfent, tantam tamen et cenfu et vero morum cura in civitatem vim habebant, ut omnium ab illis civium penderet conditio. Unde factum, ut Imperatores, quum tanta hujus magiftratus auctoritas nimium eorum limitaret potestatem, eam fibi fub *Praefecti morum*, *morum legumque regiminis perpetui* aliisque titulis asfumerent. (1)

§. 2.

(1) Suet. in Caef. C. 76. et in Aug. C. 27.

§. 2.

De Existimatione Censorum.

Huic autem, quam hactenus declaravimus, auctoritati aequiparata fuit existimatio. Cujus quae brevia quidem, sed luculenta apud veteres exstant documenta, hoc imprimis loco sunt proponenda. Solebant igitur Romani Censurâ eos plerumque Consulares ornare, qui optime de Republica meruerant, suaeque probaverant vitae morumque integritatem (1). Cum autem huic magistratui omnia, praeter Lictores, Consularis dignitates insignia tribuerent (2), major adeo illius, quam Consulum, evasit existimatio. Censuram enim habebant nobilissimam ἀρχὴν, imo omnium, quibus quis fungi poterat, τιμῶν κορυφὴν (3).

Magni profecto apud Romanos ii habebantur, qui patriae hostes vel fugaverant, vel imperio Romano subjecerant. Haec fuit Marcelli, Scipionum, Glabrionis, aliorumque a Romanis perpetuo celebrata laus. Istiusmodi viri, triumphi plerumque honore insignes, summa apud omnes cives erant existimatio-

tio-

(1) Beaufort l. l. p. 109. (2) Zonaras L. 2. V. Thes. Graec. Tom. 2. p. 1865 (3) Athenaeus Deipn. L. 14. p. 327. Plut. in Catone Maj. p. 345 A. et in Flam. p. 379 A.

tione. Et vel sic tamen tantum aberat, ut eorum existimatio Censorum anteponeretur venerationi, ut Censurae potius munere, quam bellicis honoribus Romani gloriarentur. Ornatissimos enim et clarissimos adeo Imperatores sua de civitate merita hac omnium gestarum rerum ἐπιτελείωσι cumulare censebant (1). Sic, ut alios mittam, quum in Paulum Aemilium, de Macedonibus victorem, omnibus gratum acceptumque, et morum se maxime commendantem probitate, omnes conferre instituerent honores, non Praeturam ei aut Consulatum iterum, sed Censuram mandarunt, πασῶν ex eorum, opinione ἱερωτάτην ἀρχὴν (2).

Cum igitur tantus hujus magistratus, quantum jam declaravimus, esset honos, fiebat saepius, ut, qui et illo et aliis magistratibus fuerant perfuncti, in amplissimi muneris memoriam *Censores* dicerentur (3). Ad familiarum autem dignitatem tuendam et ornandam quantopere faceret Censura, exinde patet, quod ipsi antiqui commentarios, qui ex proavis aliquem Censorem fuisse probabant, a patribus acceptos maxi-

(1) Plut. l. l. (2) Plut. in Aem. p. 275 D. Cf. omnino Plut. in Crasso p. 566 A. (3) Beaufort l. l. p. 111. Ipse adeo Cicero, quo magis L. Mummium celebraret, mihi addidisse videtur: *Africani in Censura collega*. De Off. L. 2. C. 22.

maxima cura posteris, tanquam paterna facra, tradere conarentur (1). In praestantisfimis igitur proavis memorandis, eos religiofe fere afferunt, qui Cenforium munus gesferant. Sic Tacitus de L. Pifone (2) et Vitellio Imperatore (3) tradens, eorum patres *Cenfores* fuisfe dicit; quo praecipue modo et paternae gloriae confulit et ipfius gentis egregie tuetur dignitatem. Vitellius autem tanti hoc patris munus, tamque et fibi et genti honorificum ducebat, ut nummos conficiendos curaret, quibus Cenforiam patris dignitatem ab oblivione vindicare (4). Imo nummis et ftatuis nil aliud plerumque infcriptum erat, nifi *Cenforis* nomen (5). Sic igitur et alii et ipfe Vitellius, utut tres Confulatus gesfisfet (6), *Cenfurae* tamen, omnium in civitate honorum cumulo et confummationi, fuum familiaeque decus debere cenfebantur. Ceterum ex Imperatoribus alii fub aliis titulis Cenforum exercebant auctoritatem, alii contra honoris ftimulo incitati non tantum dignitatem, fed et titulum asfumebant. Sic Claudius una cum Vitellio, fic Vespafianus honorificum id rati, *Cenfo-*

(1) Dionyf. Hal. L. 1. C. 74. (2) Ann. L. 6. C. 10.
(3) Hist. L. 1. C. 9. Cf. Livius L. 25. C 5.
(4) Spanhemius *de ufu et praeft. num.* Tom. 3. Disf. 12. p. 475 feq. (5) Pitiscus in voce *Cenfura.*
(6) Suet. in Vitellio C. 2. Tacit. Hist. L. 1. C. 52.

ſores ſe dici volebant. Pariter Domitianus longae imprimis titulorum ſeriei cupidus *Cenſoris perpetui* adſciscebat nomen (1).

Et haec quidem omnia, quae hactenus disputavimus, ſi vera ſunt, affirmare equidem nullus dubito, tantam Cenſoribus in Republica Romana auctoritatem fuisſe et existimationem, quantam caeterorum, quod ſciam, magistratuum nulli.

---

(1) Beaufort p. 115. Non igitur hoc loco audiendus est Dio Casſius, cum Augustum ideo ſe Praefectum potius morum, quam Cenſorem dici voluisſe tradit, quia id parum honorificum esſet nomen. Cf. omnino Caſaubonus ad Suet. Jul. Caeſ. C. 76.



CAPUT TERTIUM.

DE CAUSIS, QUIBUS FACTUM VIDEATUR, UT TANTA ESSENT CENSORES APUD ROMANOS CUM AUCTORITATE TUM EXISTIMATIONE.

SECTIO PRIMA.

DE ANTIQUARUM CIVITATUM CONDITIONE.

Accedimus jam ad disputationis nostrae partem praecipuam, ut causſas exploremus ſummae illius Cenſorum apud Romanos cum auctoritatis tum existimationis. Quod ſane argumentum ſummi esſe videtur momenti. Non enim ſatis est in rebus historicis tractandis, referre tantummodo populorum inſtituta; quamquam hoc accurate et diligenter agendum est; principia item ſedulo indaganda ſunt, e quibus res omnes majores exſtiterunt. Sic demum ex historiae ſtudio

dio fructus nobis percipere liceat uberrimos et ad negotia humana perſpicienda efficacisſimos.

Et Cenſoriae quidem auctoritatis cauſae, ut poſitae ſunt partim in munerum dignitate, quibus fungebantur apud Romanos Cenſores, ita ex praecedenti disputatione nostra jam quodammodo intelliguntur. Verumtamen longe maximam partem ducendae ſunt ex antiquarum civitatum, maxime Romanae Reipublicae, conditione interiore. Hinc enim unice explicatur, cur morum cura, quod princeps erat Cenſorum munus, tantopere valuerit ad eorum augendam vim et existimationem. Ut igitur res pro dignitate quodammodo explicetur, altius est repetenda; quod fuerit antiquitus morum momentum, explorandum; veterum omnino civitatum conditio indaganda. Et quandoquidem in eo disputationis nostrae vis potisſimum verſatur, hanc non modo adumbrandam conditionem, ſed gravisſimis argumentis probandam opinamur. Age igitur et ex *civitatum indole*, et ex *legumlatorum inſtitutis* et ex *historia antiqua* veram earum declaremus ac probemus rationem.

§. 1.

Moribus antiquae nitebantur civitates.

Quotquot antiquitus in Graecia et Italia exſtiterunt civitates, ex veterum Politicorum ſen-

tentia κοινωνίαι erant, communitates, societates, e sacrorum communione oriundae, sed deinceps ad politicam conditionem adaptatae. Constabant tribubus, earumque principibus. Politicae societatis studio omnes in concionem, Principes maxime in Senatum conveniebant. Omnes itaque communibus consiliis rebus civitatis prospiciebant, eamque conjunctis viribus propugnabant. Sic, cum sua quisque ratione civitati consuleret, nec unus omnia ageret, sponte existebat omnium inter se civium aequalitas, qua, legum juriumque habita ratione, par erat omnium, tanquam civium, conditio (1).

Cum igitur huic omnium aequalitati ita alterius civis prae altero repugnaret auctoritas, ut, ubi haec adesset, civitatis vis sublata censeretur prorsus, cumque esse tamen deberet, qui caveret, ne haec in anarchiam abiret aequalitas, sponte accidit, ut tanta a civibus vis tribueretur legibus, quanta ceteroquin pro variis regiminis formis variis tribuitur hominibus. Unde factum, ut prouti Orientales *Regem*, sic antiquarum cives Rerumpublicarum dominam agnoscerent *legem*, cui parerent, a qua penderent, cujusque se servos profiterentur (2).

Verum utut hoc arctum erat, quo cives et in-

---

(1) Cl. v. Heusde l. l. p. 45.
(2) Herod. L. 7. C. 104.

inter se et cum civitate conjungebantur, vinculum, haud tamen poterat haec eorum, quae vere dicatur, firma manere et stabilis servitus, nisi ipsis inesset, quo ad hanc legum ducerentur observantiam. Nam cum, praeter ipsas leges, nullus eos illis obsequi cogeret, dominus, neque igitur vi aut armis eo impellerentur, intelligitur profecto, diuturnae illius et religiosae in antiquis civitatibus legum observantiae in ipsis civibus positam fuisse caussam. Ut legum se servos haberent, illisque sponte obsequerentur, ipsi eorum fecerunt mores; qui quidem quamdiu integri manebant, in toleranda velut servitute faciles erant cives; quamprimum vero labem contrahere, et a pristina virtute recedere incipiebant, et legum vis tollebatur prorsus, et ipsae in pejus ruebant civitates. Veluti enim in regno Orientali omnes, nolentes licet et invitos, adigit tamen ad suas leges observandas Rex, sic in antiquis civitatibus, societatibus quippe et sociorum communionibus, vanae erant sine moribus leges, ipsarumque civitatium vis debilitabatur et tollebatur tota.

Hinc igitur patet, mores, quos Romae Censores curabant, firmissimum civitatum fuisse praesidium. Quod quum veteres ipsi egregie perspicerent, moribus civitates superstruere conabantur. Et quandoquidem eorum conatibus nos-

tra

tra imprimis confirmantur dicta, principum jam Legumlatorum operae pretium est explorare leges.

§. 2.

Ad morum servandam integritatem pleraque spectabant Legumlatorum instituta.

Multum profecto aberat, ut civitatem veteres machinam haberent, quae extrinsecus motus caussam acciperet (1), neque eam, ut Platonis verbis utar, e ligno aut saxo, sed e civium moribus oriri, iisque confirmari ac stabiliri putabant (2). Quocirca id potissimum Politici egerunt, et Legumlatores, ut cum scriptis suam de morum efficaciâ doctrinam aliis traderent, tum in civitatibus quique morum consulerent bonitati. Hinc palmaria Platonis, Aristotelis, aliorumque hac de re exstiterunt placita; Lycurgi, Solonis, Zaleuci, Charondae instituta. Sed, philosophis missis, qui placita enunciarunt tantum, legumlatores attendamus, qui illa ad rem et effectum perduxerunt.

Ut igitur ab antiquissimo ordiamur, tantam morum

(1) De Geer Diat. *in Pol. Plat. principia* p. 125.
(2) De Rep. L. 8. p. 544 D. Locum debeo Cl. Heusdio l. l. p. 58.

rum bonitati vim tribuebat Lycurgus, quantam exspectari par erat a viro, qui cum in aliis regionibus, tum in Creta imprimis peregrinatus erat (1), diligenterque omnia Cretensis legislationis attenderat instituta. Itaque, cum intelligeret, citius nunquam quandam homines contrahere posse morum bonitatem, sed efficacissimam esse in reliquam vitam, qua, ineunte aetate, imbuimur, virtutem, primum praecipuumque legislatoris munus in juventute rite instituenda et ad praeclara quaeque informanda versari censebat (2). Sic voluit, ut ad communia civium sussitia admitterentur pueri, tanquam ad διδασκαλεῖα σωφροσύνης, in quibus de rebus politicis loquentes audirent cives, ingenuosque viderent magistros (3). Ita jussit, non parentes, verum ipsam patriam puerorum prospicere educationi, septennio nimirum majores praestantissimis civibus alendos tradi et instituendos (4), ut ita pendentes ab horum ore virorum, nec umquam ab iis decedentes, eorum metu, exemplo, et vero praeceptis monitisque ad patriae amorem, aliasque, quae Reipublicae prodessent, excitarentur virtutes.

Neque tamen hic praestantissimi legislatoris substitit cura. Nam, ut ne cives luxuriâ corrumpe-

(1) Plut. in Lyc. p. 41 C. (2) Plut. l. l. p. 47. B et D. (3) Plut. l. l. p. 46. D. (4) Plut. l. l. p. 50. A Cf. D.

perentur, ferream induxit monetam, cujus cum apud alias gentes nullum pretium esset, facile omnes artes, quae ad luxuriam pertinebant, Spartâ arcebantur; imo vero ita luxus sensim *ἀπερημωθεῖσα τῶν ζωπυρούντων καὶ τρεφόντων αὐτὴν, δι' αὑτῆς ἐμαραίνετο.*

Idem in sussitiis instituendis spectavit Lycurgus. Quum enim cives secum invicem coenare, vescique communibus et praescriptis cibis obsoniisque juberet, vetuit simul domi comedere, quippe illic sumtuosis tapetibus, a coquis et macellariis, voracum animalium instar pinguefacti, ad omnem libidinem et intemperantiam proni, longis libenter se somnis dantes, calidis balneis, quieti et quodammodo *καθημερινῇ νοσηλείᾳ* indulgentes, una cum moribus corpora corrumperent (1).

Praeterea Lycurgus, moribus leges unice niti debere ratus, celebratam tantopere induxit xenelasiam, quae, licet haud sciam an civitati universe noceat magis, quam prosit, id efficiebat certe, ut ne peregrini ullius mali in civitate adessent doctores, a quorum pravis nimirum moribus magis cavendum censebat, quam a languidorum contagione corporum aliunde advenientium. Verum simul etiam civibus suis non inte-

---

(1) Plut. l. l. p. 44 et 45.

tegrum reliquit, peregre, quo vellent, proficisci, ne externos secum adducerent mores, et ad Spartanam disciplinam negligendam sollicitarentur (1). Quocirca non divitiarum copia, rerum opportunitatibus, virium externarum amplitudine civitatis vigorem contineri putabat; verum, ut unusquisque homo, quo propius a virtute abest, eo est felicior et excellentior, sic, ex ipsius opinione, civitatis felicitas et praestantia in civium posita erat virtute (2). Quam ob rem parum habuit malum coercere, sed patris et educatoris instar (3) ipsam virtutem cives diligere docuit (4). Omnibus rebus aliquam ad virtutem aemulationem, aut ignaviae obtrectationem inseruit, et vero exemplorum copia civitatem replevit, quo facilius cives, cum quotidie in ea inciderent, cumque iis una velut educarentur, ad honesta quaevis raperentur et conformarentur (5).

Lycurgi exemplum in eo secutus est Solon, quod summam aeque in legibus ferendis morum habuit rationem. Et primum quidem, Lycurgi instar, summam in juventutis educatione posuit cu-

---

(1) Plut. l. l. p. 56 C. (2) Plut. l. l. p. 59 A.
(3) de Geer l. l. p. 113. (4) Xenophon Rep. Laced. C. 10. §. 4. (5) Plut. l. l. p. 56 C.

curam. Voluit enim, ut pueri publice ab optimis magistris inſtituerentur, atque ad virtutem informarentur. E pueris egresſos jusſit in gymnaſio legibus asſuefieri morum probitati unice adaptatis, et curavit, ut ne malorum contagione exemplorum inficerentur. (1)

Porro, quo magis a flagitiis arceret Athenienſes, pravis, genere utut et ingenio claris, Sacerdotiis, Magistratibus, Concione, Senatu interdixit. Noluit eos publice dicere, legationem gerere, judiciis praeesſe. Quodſi ejusmodi munere fungerentur, gravisſimis illos poenis afficiendos cenſuit (2). Videbat enim vir ſummus, cum principum ad exemplum omnes ſe facile componant cives, civitatis commodo pravos haud posſe gravisſima munera obire (3). Prudenter igitur Athenis erat conſtitutum, ut, antequam publicum quis munus ſusciperet, vitae ante actae coram certis judicibus redderet rationes. Qua tamen tam parum Athenienſes acquiescebant δοκιμασίᾳ, ut in prima post electionem concione alteram ſubiret probationem, atque cujusvis probri reus munere caderet (4). Nam ma-

(1) Aeſch. in Timarch. p. 34 ſqq. Tom. 3. Ed. Reisk. (2) Aeſch. l. l. p. 29, 44 ſqq. et p. 54 ſqq. (3) Cicero de Leg. L. 3. C. 14. (4) Potter *Archaeol. Graeca* L. 1. C. 11. p. 62.

magiſtratuum animis justitiam inſitam esſe volebant (1).

Denique Solon Senatui Areopagitico, quem ni induxit, at confirmavit (2) tamen, peculiarem morum mandavit curam. Sed de eo infra uberior erit dicendi locus. Superest jam, ut de Zaleuco et Charonda moneamus.

Altero *de Legibus* libro, quo civitati ſuae ſacras leges praeſcribit Cicero, idem, quod vir doctisſimus fecerat Plato, atque gravisſimus philoſophorum omnium, ſibi faciendum cenſet, ut, priusquam ipſam legem recitet, de ejus laude dicat (3). Plato enim, cum pro ingenii ſagacitate et perſpicientia penitus civitatum indolem cognitam haberet, nec aliam earum atque uniuscujusque hominis felicitatem cenſeret, ad hujus exemplum, non vi aut metu, ſed ſua civibus voluntate leges colendas dicebat (4). Quocirca non ſimpliciter, ſed cum proöemio leges emittendas, deque gravisſimis rebus disquiſitione confirmandas putabat; veluti de ipſarum praeſtantia, de Deorum in bonos benevolentia, in impro-

(1) Iſocrates in *Areopag.* Tom. 1. p. 331. edit. Battiae. (2) Disputat hac de re Plut. in Solone p. 88 ſeq. Cf. Potter l. l. L. 1. C. 19. p. 88. (3) C. 6. (4) De Leg. L. 4. p. 716. Cf. omnino de Geer l. l. p. 174.

probris odio; quibus ad legum obedientiam et omnem virtutem sponte cives excitarentur. Hanc autem opinionem cavendum, ne Platoni unice propriam dicamus. Etenim ante eum Zaleucus jam et Charondas legum esse putaverant persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere (1), ideoque moralia illis praemiserant praecepta. Et haec legum cum prologo emittendarum ratio ut aliis haud immerito forsan displiceat (2), declarat tamen, quantam praestantissimi hi duumviri morum habuerint curam.

Requiri a civibus praefatur Zaleucus, ut Deos esse credant, et mente coelum considerantes, ejusque ordinem admirantes, pulcerrimum hoc opus nec fortunae, nec hominum solertiae tribuant; colant Deos, ut omnia, quae in vita habentur, pulcra honestaque hominibus suppeditantes; integram servent mentem ab omni pravitate, quoniam non sumptuosis Dii delectantur pravorum sacrificiis, verum unice bonorum pulcris justisque institutis.

Ci-

---

(1) Cicero l. l. Quamquam Plato nullum ante se legislatorem legibus aliquid persuasisse affirmat de Leg. L. 5. p. 722., et ita *sibi* tribuit, quod ab *aliis* fuit mutuatum, qua de re vid. de Geer l. l. p. 174. (2) Seneca Ep. 94. p. 383. ed. Morelli.

Cives autem ne implacabili in semet invicem proruant odio, verum ita inimicitias incipiant, quasi brevi in amicitiam redituri. Magistratus ab omni vel arrogantia vel superbia alieni, ne in judicando amicitiam odiumve praeponant veritati (1).

His palmariis praeceptis alia addidit plurima, quibus ad patriae, parentum, legum, magistratuum amorem et reverentiam excitarentur cives, avocarentur autem ab omnibus illis, quae morum integritati vel paululum repugnarent. Quod quo melius ipsi cederet, magnifice cives de Diis, eorumque in genus humanum providentia et amore existimare didicit. Quotquot in eo essent, ut pravi quid committerent, continuo Deorum templa supplices adire,

(1) Diodorus Sic. L. 12. C. 20. p. 491. edit. Wessel. Stobaeus Serm. 42. p. 279. Sunt, qui et leges universe et vero hoc prooemium Zaleucum auctorem habuisse negent. Vid. Heinius *Opusc. Acad.* Tom. 2. p. 67. Et omnino, licet dubium vix esse possit, quin, quale illud Stobaeus ac Diodorus nobis servarunt, haud fuerit a Zaleuco scriptum, exinde tamen nondum suppositilium totum prooeminm esse sequitur: sed, si ipsa Zaleuci verba non habemus, potuit fama aliqua superesse hujus prooemii, potuere sententiae, potuit argumentum traditum esse, quod is, qui illud, quale nunc habemus, scripsit, sequeretur. Vid. Heine l. l. p. 71 sqq., ubi eadem Warburtoni traditur sententia.

re, eosque orare jussit, ut suo ipsos consilio adjuvarent, animumque ad virtutem componerent (1).

Pariter Charondas virtuti suas superstruxit leges. Deos, omnium rerum auctores et moderatores, potissimum coli propitiosque reddi jussit. Et quandoquidem eorum, ipso judice, non nisi justis comparatur benevolentia, religiosissime civibus turpia quaevis vitanda erant. Ad haec autem turpia non illa tantum, quae vulgo haberi solent, referebat vitia, vindictam, livorem, furtum, sed ignaviam, mendacium, iram, pauperum contemtum, verborum turpitudinem. Imo eo procedebat, ut moneret cives, ne eos male haberent, a quibus ipsi male habiti essent.

Monebat porro Charondas, ut cives inter et magistratus eadem esset amoris et reverentiae significatio, animorum omnino conjunctio, quae inter liberos et parentes obtinere solet. Patriam omnes maxima complecterentur caritate. Matrimonium sanctissima fide colerent. Mortuos non lacrymis aut flebili cantu, sed perpetua et grata virtutum recordatione celebrarent. Haec legibus suis vir summus praemisit praecepta, ca-

(1) Barthel. *Voy. du Jeune Anac. en Grèce* Tom. 5. Cap. 62. p. 319. ed. Ster.

eaque, quo magis omnibus civibus innotescerent, eorumque mentes velut inficerent, festis diebus in conviviis recitari jusſit.

Verumtamen non his praeceptis ſolum virtutem commendavit, ſed ipſae etiam ejus leges ſpectarunt, ut morum promoveretur integritas. Etenim, quod egregie pronunciavit Aeſchylus:

ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς
κάκιον οὐδὲν (1).

quodque in civitatibus quisque ſuis omnium maxime timuerunt Lycurgus et Solon, idem etiam vidit Charondas, qui, cum animadverteret, optimos ſaepe viros, quam primum amicitiam et familiaritatem cum pravis contraxisſent, primum a virtute recedere, amicorum mox delectari facinoribus, omnique tandem honestate misſa, istiusmodi, quae antea vix fando cognoverant, admittere flagitia; hoc igitur cum animadverteret, prudenter illos poenâ coercuit, qui improborum conſuetudine et amicitia uterentur (2).

Quodſi univerſe ſpectamus Charondae leges, intelligitur facile, non ſolum delinquentium eum poenam, verum id multo magis ſpectasſe, ut et transgresſores ad ſaniorem agen-

(1) Sept c. Thebas v. 605. (2) Diodorus L. 12. C. 12. p. 486. Stobaeus Serm. 42. p. 289 ſqq.

agendi rationem adducerentur, et cives exemplo ab omni avocarentur pravitate. Sic, ut his utar, calumniae reos myricâ cinctos coronâ per urbem duci jussit, ut ita et inter cives de horum hominum pravitate constaret, et vero civitas, cum plurimi tantam vix ferentes ignominiam vel mortem sibi consciscerent, vel urbem relinquerent, iis liberaretur (1). Pariter eos, qui ordines in bello deseruerant, vel patriam omnino defendere recusabant, non ultimo affecit supplicio; verum civitati ad futura servans bella, eos per triduum in foro muliebri vestitu sedere jussit, opinans egregie, hac ignominiae poena affectos rem deinceps melius gesturos, omniaque facturos esse, ut hanc a se averterent maculam (2).

Sic igitur hujusmodi antiquarum civitatum indolem fuisse declaravimus, ut civium illae niterentur moribus. Vidimus etiam, quantum celeberrimi legumlatores morum tribuerent bonitati. Verumtamen, cum tota haec disquisitio ad Censorum auctoritatem et existimationem explicandam instituatur, veterum Rerumpublicarum conditionem non ex earum indole et principum virorum legibus significasse sufficiat; sed

(1) Diod. l. l.
(2) Diod. l. l. C. 16. p. 488.

ſed id maxime curantes, ut, quae tanquam principia, unde omnia dein ducantur, ponimus, gravisſimis probentur argumentis, historicam hoc loco disquiſitionem requiri putamus, qua tantum morum in antiquas civitates vim fuisſe pateat, ut, illis vigentibus, hae florerent, lapſis vero, corruerent. Etenim, ſi mores antiquitus civitatum firmamentum fuisſe ex historia apparuerit, tum demum de istiusmodo magistratus dignitate argumentari poterimus, qui firmisſimum hoc praeſidium tuebatur. Cum vero infinitum foret, nec magnopere jucundum aut utile, de ſingulis exponere civitatibus, tres potisſimum, easque cum virium amplitudine, tum rerum gestarum magnitudine, et vero inſtitutorum excellentiâ nobilisſimas in exemplum exhibere juvat: Rempublicam dico Lacedaemoniam, Athenienſem, Romanam.

§. 3.

Vigentibus moribus, viguere, lapſis, corruerunt Antiquae Civitates. — Respublica Lacedaemonia.

Vidimus ſupra tantam Lycurgum morum habuisse rationem, ut merito iis leges ſuas ſuperſtruxisſe cenſeatur. Cum itaque illas libenter Spartanos accepisſe, et per plurima ſecula religioſe obſervasſe conſtet, ſupervacaneum ſit pluri-

ribus demonſtrare, Spartae aliquando morum obtinuisſe bonitatem. Quod praeterea antiquae luculenter testantur gentes, quae et Spartanos orabant, ut adverſus injustos ſibi duces esſent (1), et ipſam Rempublicam tanquam honestae vitae et rite conſtitutae civitatis magistram venerabantur (2). Sed hoc nobis est declarandum, integris illis moribus, Spartam viguisſe, corruptis vero, in pejus ruisſe.

Lycurgi legibus ad morum integritatem Spartani informabantur. Hac autem civium virtute interna civitatis vis eum in modum crevit, ut, parva licet et inops, vigeret tamen, nec potentisſimis impar esſet hostibus. Haud perſpiciebat Xerxes, quomodo Lacedaemonii, numero pauci, nulli domino ſubjecti, millenos aliquot homines repellerent (3). Verum enim vero cum in illorum animis inesset, quo ad legum obſervantiam ducerentur, cumque quaevis pro patria ſubire potius, quam hostibus ſubjici juberentur, acerrimo legis ſtimulo incitati praeclara et ſtupenda ſubinde edebant facinora. Hinc Leonidas, postquam in Thermopylis cum trecentis Spartanis gravisſimum Perſarum retardaverat impetum, mox, proditis angustiis, in medios

(1) Xenop. Rep. Laced. C. 14. §. 6. (2) Plut. in Lyc. p. 58 E. (3) Herod. L. 7. C. 101. ſqq.

dios ſe hostes immiſit, nec ante quievit, quam in atrocisſima clade una cum ſuis hostium multitudine et pondere obrueretur. In eo enim gloriam poſuerat vir egregius, quod, ut vere expresſit Simonides, obeunda morte ſanctisſimis patriae legibus obſequeretur (1). Hinc ipſae mulieres, cum filii pro patria obiisse nunciarentur, exultabant, proleque ſua gloriabantur. Iccirco, ajebat Lacaena, de filii morte certior facta, iccirco genueram, ut esſet, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.

Istiusmodi igitur civitas quid mirum ſi in bello Perſico palmaria fortitudinis ederet documenta, et ſua integritate, ipſorum Graecorum conſenſu, Graeciae principatum obtineret. Nam, veluti Herculem poetae fingunt pelle et clava orbem terrarum peragrantem, ſcelestos et feros tyrannos punivisſe, ſic quoque Respublica Spartana, Graeciae volenti et lubenti praefecta, unâ ſcytalâ et pallio injustas in civitatibus tyrannides disſolvebat, ſeditiones comprimebat: neque armis hanc auctoritatem exercebat, ſed uno mittendo legato, cui omnes continuo obediebant, apium inſtar ad ducis adventum, concurrentes et sese componentes (2).

Hac

(1) Cicero Tusc. Quaest. L. I. C. 42. (2) Plut. in Lyc. p. 58 B.

Hac itaque morum praestantia per quinque secula Spartani floruerunt. Tum vero morum invalescente corruptela, Lycurgi legibus negligi coeptis, in pejus ruit civitas.

Vidimus supra, quantopere caveret Lycurgus, ut ne peregrini in civitatem irreperent mores. Hoc et alia impedire studuit ratione, et vetando, ne mercaturam agerent, pugnasve navales committerent Spartani (1). Hi autem cum Graecos dein vexare conantes, navales copias conquirerent, pecuniâque ad eas alendas opus esset, adierunt barbaros, eorum sibi benevolentiam conciliarunt, copias pecuniamque ab illis contra ipsos Graecos petiverunt (2). Sic igitur morum relaxata quodammodo severitas fregerat jam religiosam legum observantiam. Nam ceteroquin, quod legibus adversaretur, admittere haud potuissent (3). Porro una cum auro argentoque divitiarum amor, avaritia, πλεονεξία, luxus, mollities, profusio, sensim Spartam occuparunt (4), pristinamque legum sustulere duritiem. Tum vero omnis civitatis vis frangebatur. Primum

(1) Plut. in Lacon. Institutis C. 42. p. 959 Tom 1. parte 2 ed. Wijtt. (2) Demost. Phil. 3 p. 123. Tom. 1. Ed. Reisk. Imprimis Polyb. L. 6. C. 49. (3) Assentimur igitur Plutarcho, qui corruptelae initium ad belli Peloponnesiaci tempora refert in Agide p. 797. C. Conf. idem in Lyc. p. 58 B. (4) Plut. l. l. p. 796 D.

mum enim Graeciae amisit principatum, qui ne ad illam rediret, ob ejus perversitatem Graeci diligenter cavebant (1). Tum dominandi studio gentes vexans, neque ipsa pristinae virtutis tenax, gravissimas ad Leuctra et Mantineam clades accipiebat (2). Ab ipsis mox Peloponnesi populis relicta mirum in modum debilitabatur. Internis praeterea seditionibus saepius agitata et plurimas perpessa calamitates ad Agidem usque abjecta jacuit (3). Hic excellentis ingenii vir atque antiquam virtutem habitu, victu, cultu referens, cum Lycurgi legibus restituendis civitatem ab interitu revocare niteretur, irriti plane ejus fuere conatus. Nam, quod antiquitus illarum legum unicum fuerat et firmissimum praesidium, quo omnes cives ad earum observantiam sponte ducebantur, mores inquam, eam labem contraxerant, ut austera quaevis Spartanis displiceret disciplina. Hanc igitur tantum non omnes, velut dominum e fuga reduces servi, timebant et fugiebant (4). Et profecto haec erat tristissima Spartae conditio, ut sponte illic tyranni existerent, qui, ut omne antiquae virtutis vestigium tollebant, sic moenibus urbem cin-

(1) Xenophon Rep. Lac. C. 14. §. 6. (2) Egregie Spartae eo aevo conditionem tradit Barthelemy l. l. Tom 2. C. 1. p 36. (3) Plut. in Agide initio. (4) Plut. l. l. p. 797 F.

cingebant. Unde factum, ut, quae Lycurgi legibus per plurima secula sine muris libera et princeps aliquando Graeciae civitas fuerat, virique potius moderati et sapientis quam urbis speciem retulerat (1), haec igitur muris jam, tanquam compedibus vincta, pessum daretur et serviret (2). Nam tyrannis subjecta a Romanis, quibuscum amicitiam junxerat (3), dein oppugnabatur, et ad summum discrimen adducta, Romanorum arbitrio omnia permittere cogebatur (4).

Cum igitur eo maxime tempore, quo Lycurgi leges viguerunt, Spartani florerent, quo autem negligi coeperunt, a pristino continuo vigore remitterent, sequitur inde, a moribus Spartanam pependisse Rempublicam. Videamus jam, num idem de Republica Atheniensi possit affirmari.

§. 4.

Respublica Atheniensis.

Quemadmodum Lycurgum, sic Solonem quoque in legibus ferendis morum bonitati prospexisse vidimus. Cujus viri leges cum lubenter

(1) Plut. in Lyc. p. 58 B. (2) Liv. L. 39. C. 37. Cf. ad h. l. et L. 34. C. 38. Crevierius. (3) Liv. L. 32. C. 39. (4) Liv. L. 34. C. 40.

ter acciperent Athenienſes, iisque ſe regi paterentur, ad morum illi integritatem perveniebant. Hinc itaque factum, ut, perinde atque ipſae leges, ſic civitas moribus ſuperſtrueretur. Tum autem ad eam ſenſim haec Respublica dignitatem accesſit et vigorem, ut Perſici potisſimum belli temporibus ſtupenda ederet facinora, ſuamque ei Graecia deberet ſalutem.

Pauci tunc Athenienſes numero, inopes, externis, quae dicuntur, viribus destituti erant. At moribus, id est, virtute leges diligenter obſervare noverant. Hae igitur cum juberent cives in proelio vel vincere vel mori, nunquam autem ex acie recedere, aut patriam hostibus in ſervitutem tradere; et praeclare ad Marathonem et Salaminem rem gesſerunt, et quasvis barbarorum conditiones, ingentem adeo pecuniae vim, repudiarunt. Post pugnam Salaminiam Xerxis jusſu litteris Athenienſibus promittebat Mardonius, urbem ſe restituturum, magnam iis pecuniae copiam, imo Graeciae imperium traditurum, ſi quidem a bello abſtinerent. Quod ubi compererant Lacedaemonii, metuentes, ne oraculorum memores et calamitatibus presſi barbaris accederent Athenienſes, legatos Athenas mittebant, qui peterent, ut liberos et conjuges Spartam mitterent, ſenibus autem ſe cibum daturos affirmarent. Tum vero Athenienſes, hostibus ſe responderunt facile veniam dare, cum di-

vi-

vitiis, quibus melius praestantiusque nil agnoscerent, omnia venalia putarent; se tamen, quousque Sol eadem via incederet, nunquam cum Xerxe societatem inituros; Lacedaemoniis vero irasci, quod praesentem tantummodo Atheniensium inopiam intuerentur et paupertatem, virtutem vero negligentes, ciborum se copiâ ad Graeciam defendendam invitarent; non esse tantam aut super aut sub terra auri vim, quam Graecorum saluti praeponerent Athenienses (1). Quamquam quid viros memoro, cum ipsas feminas lapidibus eos obruisse accepimus, qui Xerxem muneribus Graeciae conciliandum censerent. Quocirca cum haec esset interna hujus Reipublicae vis, mirum profecto non est, in ea celebranda plurimum versatos esse oratores, ac, de ipsorum sententia, tum Graecos universe, tum Athenienses maxime, illa aetate terribiliores fuisse barbaris quam barbaros Graecis (2).

Ad summam igitur illis temporibus integritatem civium pervenerant mores. Intelligitur hoc, cum ex responso, quod Lacedaemonii ab iis tulerunt, ex facinoribus in bello Persico editis, tum imprimis ex eorum justi honestique sensu. Curaverat Solon, ut ne illicitâ turpive ratione lo-

(1) Herod. L. 8. C. 143. Plut. in Arist. p. 324.
(2) Demost. Phil. 3. p. 122.

locupletarentur cives. Hoc autem Reipublicae haud magis, quam singulis civibus licere putabant. Cum igitur, judice Aristide, Themistoclis de Lacedaemoniorum clasfe clam incendenda consilium expediret quidem civitati, verum honestum non esset, judicarunt illi, cum, quod honestum non esset, ne conduceret quidem, esse illud rejiciendum (1).

Hac igitur morum praestantia civitas crevit, illaque omnium maxime viguit aetate, qua integri illi erant. Iidem autem quam primum labem contrahere et Solonis adeo leges negligi coeperunt, a pristino sensim civitas vigore decidebat, ut internis mox debilitata seditionibus, in bello hostibus impar esset, suamque tandem αὐτονομίαν amitteret.

Novimus profecto, quantopere post bellum Persicum mari invalescerent Athenienses. Maritimis illis ad Artemisium et Salamina elati victoriis, cum rei nauticae tum mercaturae operam navare instituebant, tantamque mox nanciscebantur auctoritatem, ut maris penes eos esset principatus. Tum autem maximam mores mutationem et corruptelam subierunt. Nam, ut Ciceronis verbis utar, „ his rebus intentae civitates admiscentur non tantum novis sermonibus ac disciplinis, nec importantur solum

(1) Plut. in Arist. p. 332. Cicero de Off. L. 3. C. 11.

lum merces adventitiae, ſed etiam mores, ut nihil posſit in patriis inſtitutis manere integrum (1)." Hanc communem maritimarum civitatum labem perpesſa est Respublica Athenienſis. Mercaturae ſtudio divitiarum lucrique cupido omnium animos adeo allicuit et tenuit, ut, misſis liberalioribus ſtudiis, bellicisque exercitationibus, totos ſe quaestui darent, nec praeter lucrum quidquam ſpectarent (2). Tum igitur una cum opibus luxuries, avaritia aliaque vitia obtinuerunt, quoque major divitiis, eo minor virtuti haberi coepit honos. Avitam autem integritatem haud profecto reſtituere conatus est Pericles, ſed, utut Athenas aedificiorum, ſtatuarum, picturarum artiumque univerſe ornavit magnificentiâ, urbemque theatrum reddidit, in quod philoſophi, oratores, artifices omnes confluerent, morum tamen corruptelam magnopere aluit. Nam, ut alia mittam plurima, cum eos frustra petiisſet magistratus, e quibus Areopagitici creari ſolebant Senatores (3), aegre repulſam ferens una cum Ephialte oratore hoc oppres-

(1) De Republ. L. 2. C. 4. Qui locus egregie in Athenienſes quadrat (2) V. de Geer l. l. p. 43. (3) Archontes muneribus ſuis perſuncti, rerum gestarum rationibus redditis, in Areopagum legebantur. Plut. in Solone p. 88 D. in Pericle p. 157 A. Cf. Potter l. l. p. 89.

presſit conſilium, et pleraque ei ademit judicia (1). Tum vero firmisſimo legum praeſidio penitus ſublato, deterior longe civitatis fiebat conditio; ac veluti teterrimi morbi contagio, niſi prudenter antevertatur et intra fines coerceatur, ſerpit in dies, ad plures ſenſim accedit, valentes etiam afficit, omnesque mox tenet et obruit, ſic etiam, debilitato Areopago, morum, quae in civitate jam aderat, propagata est corruptela, et ita omnes infecit, ut antiquae vix virtutis remaneret vestigium.

Dici autem vix potest, quantam haec morum labes in res civiles vim habuerit. Democraticam regiminis formam induxerat Solon (2), verum, ut ne in licentiam illa abiret, aristocraticâ eam temperaverat ratione (3). Primum enim Areopagus, cui morum curam commiserat, civium licentiam reprimebat. Tum vero Senatum Quadringentorum de omnibus rebus ante cognoscere jusſit, quam populus de illis deliberaret; nec, niſi quas ſuffragiis ſuis Senatus probasſet, in populi concione agitari voluit (4). Prae-

(1) Plut. in Per. p. 155 E et p. 157 A. (2). Cernitur haec democratica forma in eo, quod omnes omnino cives in concione et judiciis adesſe jusſerat, ut tum ſuffragiis de gravisſimis rebus ſtatuerent, tum etiam magnam controverſiarum partem dijudicarent. Plut. in Sol. p. 88. A. (3) Arist. de Rep. L. 2. C. 12. T. 3. p. 448. (4) Plut. in Sol. p. 88 D.

Praeterea magistratus divitibus tantum concessit; ab iisque, cum secundum facultates in quatuor classes populum divisisset, omnes eos exclusit, qui ad ultimam classem pertinerent (1). Sic igitur e Solonis instituto mixta potius, quam pure democratica Athenis erat regiminis forma (2). Cum autem dein, auctore maxime Aristide, cuivis e populo aditus ad magistratus pateret (3), et ita magnum ejus auctoritas caperet incrementum, prudenter illa a Solone instituta sublata est ordinum aequalitas. Postea vero, Areopago fracto, pro morum perversitate suam ipse magis quam civitatis auctoritatem respiciens populus, et optimatum potestatem pertaesus, id maxime agebat, ut summam rerum ad se transferret. Tum autem in immoderata populi potestate ad summam res pervenerunt licentiam, quae a pluribus, oratoribus potissimum, celebrata, veram civium aequalitatem et optimam Reipublicae formam referre visa, internis civitatem agitavit discordiis, eamque mirum in modum debilitavit (4). Hinc fiebat, ut ii aegerrime ferrentur et morte subinde plecterentur, qui morum pravitati resistere, malorumque radices evel-

(1) Plut. l. l. p. 88 A. (2) Cf. Arist. l.l. (3) Plut. In vita p. 332 C. (4) De Geer l. l. p. 46. seq.

evellere conati, ad pristinam cives conditionem ducere cupiebant. Quandoquidem vero non tantum in se ipsos saeviebant Athenienses, sed et pro superbia in alias gentes, socias imprimis, crudeliter dominabantur, bellum deinceps exstitit Peloponnesiacum, in quo, quid morum efficeret corruptela, luculenter patuit. Captis enim a Lacedaemoniis Athenis, triginta tyranni in eorum civium posteros saeviebant, qui nec Pisistratum, optimum quidem virum (1), sed tyrannum tamen, ferre potuerant; et vero Hipparchi interfectores, patriae vindices, perpetuis laudibus celebraverant, Harmodium et Aristogitonem.

Deinceps vero Athenae a Thrasybulo liberatae civilibus discordiis magis magisque agitabantur. Verum operae pretium est civium in hac rerum anarchia cognoscere mores.

Isocrates, nobilissimus ille Demosthenis praeceptor (2), his proximus temporibus in Senatu Areopagitico egregia Atheniensibus suadet oratione, ut, immoderatâ populi sublatâ libertate, temperatam illam, a Solone inductam, restituant Democratiam. Multus est in laeta civitatis, dum haec regiminis forma vigeret, adumbranda

(1) Plut. in Sol. p. 95. A. (2) V. ejus vita in Edit. Isoc. Battiana p. 3.

da conditione. Civium autem virtutem effecisse demonstrat, ut et populo illa placeret et civitati conveniret. Ad sui vero aevi homines corruptamque regiminis formam accedens, civium attendit mores; et cum pristini rerum vigoris, praesentis vero lapsus causam in gravissima morum ponit discrepantia, palmariam eorum instituit comparationem. Illis, inquit, temporibus non in aleatoriis juvenes tempus terebant, neque apud tibicinas, nec in ejusmodi coetibus, in quibus nunc totos dies transigunt, verum iis impendebant studiis, quibus destinabantur, suspicientes eos et colentes, penes quos suorum principatus erat studiorum. Ita autem forum evitabant, ut, si forte illud transire cogerentur, cum evidenti pudoris et modestiae hoc facerent significatione. Senioribus obloqui aut conviciari pejus putabant, quam nunc in parentes peccare. In cauponis vero ne frugi quidem servus edere aut bibere sustinuisset. Gravitatem prae se ferre, non scurram agere cupiebant, et lepidos, ac cavillatores, quos nunc facetos dicunt, infelices illi censebant (1). Totus autem populus laborabat, et parce vi-

To-

(1) l. l. p. 335. Neque tantum Isocrates cum hoc, tum aliis locis, sed et alii plurimi in hujus aevi corruptelam invecti sunt. Unius Theopompi memorasse sufficiat verba. *Αὐτοὶ ('Αθηναῖοι) τοῦτον τὸν τρόπον ἔζων, ὥστε τοὺς μὲν νέους ἐν τοῖς αὐλητριδίοις καὶ παρὰ ταῖς ἑται-*

ραις

vebat nec res domesticas negligens, nec alienarum appetens, nec e publicis bona ſua augens, ſed ex ſuis quisque facultatibus, ubi opus esſet, in commune conferens. A civitatis autem prae lucri ſtudio administratione tam religioſe abſtinebant, ut difficilius reperirentur, qui (lucri cupiditate ducti) imperare vellent, quam nunc, qui magistratum recuſent et fugiant (1). Non enim rerum administrationum mercaturam, ſed munus exiſtimabant. (2).

Hac igitur morum praestantiâ civitatem creviſſe ostendit, exque eorum labe Reipublicae lapſum ducit, qui eo mox processit, ut facillime Athenienſes in Alexandri Regumque Macedonum redigerentur potestatem. Etenim, quae antea a Perſa-

ραις διατρίβειν· τοὺς δὲ μικρὸν ἐκείνων πρεσβυτέρους ἔν τε τοῖς κύβοις καὶ ταῖς τοιαύταις ἀσωτίαις· τὸν δὲ δῆμον ἅπαντα πλείω καταναλίσκειν εἰς τὰς κοινὰς ἑστιάσεις καὶ κρεανομίας, ἤπερ εἰς τὴν τῆς πόλεως διοίκησιν· apud Athenaeum Deipn. L. 12. p. 263. Alios hac de re veterum locos congesſit Doct. Bergman in *Iſoc. Areopag.*; ex cujus ad nostrum Iſocratis locum commentario egregie Athenienſium hoc aevo percipitur corruptela p. 141 ſqq. (1) Cf. omnino Wolf. ad h. l. p. 323. et Bergman l. l. p. 111. (2) p. 322 ſeq. Loci ſenſus est, non enim putabant, ſe in gerenda Republica id ſibi debere propoſitum habere, ut ex ea, tamquam ex mercatura, lucrum facerent, ſed hoc potius, ut Reipublicae operâ ſuâ et pecuniâ prodesſent; ut ait Bergman l. l. p. 111.

ſarum jugo eos tuita erat non tam in bello fortitudo, quam ipſa civium virtus morumque excellentia, hujus his temporibus ne vestigium quidem ſuperferat.

Uti igitur Spartana, ſic Athenienſis Respublica, integris civium moribus floruit, lapſis vero, continuo fracta tandem plane corruit. Quamobrem Lycurgus et Solon diligenti illa morum cura firmisſimum civitatum fulcrum poſuerunt, cui, ſi innifae illae conſtanter eſſent, haud facile interiturae fuiſſe videntur.

§. 5.

Respublica Romana.

Romani, de luculentisſimo veterum, Sallustii imprimis, testimonio, ſumma ſe antiquitus vitae morumque commendabant integritate. Jus atque bonum apud eos non legibus magis, quam naturâ valebat. Jurgia, discordias, ſimultates cum hostibus exercebant, cives cum civibus de virtute certabant. Duabus his artibus, audaciâ in bello, ubi pax evenerat, aequitate ſeque rem que publicam curabant (1). Laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divi-

(1) Sall. B. C. C. 9.

vitias honestas volebant (1). In Deorum cultu magnifici, domi parci erant. Quin paupertatis ac parſimoniae tantus erat honos, ut principes in civitate viri ob ſummam vitae ſimplicitatem celebrarentur. Quintum Cincinnatum, Manium Curium, alios, ſummis perfunctos muneribus, ab agris colendis ad rerum adminiſtrationem avocatos fuiſſe novimus.

Haec morum bonitas juventutis ſtabiliebatur educatione. Etenim ſpectabat ea potisſimum, ut laboris illi ac belli patientes redderentur, magis in decoris armis et militaribus equis, quam in ſcortis atque conviviis lubidinem haberent; ut ita adultis illis non labor foret inſolitus, non locus asper aut arduus, non armatus hostis formidoloſus, ſed morum honestate patriam prae omnibus et diligerent et ornarent (2). Idcirco non emtae nutrici, ſed propinquae majori natu, cujus ſpectati erant mores, totius familiae ſoboles committebatur. Haec pueris ſemper praeſens diligentisſime curabat, ut ne illicita turpiave facta addiscerent, et ſanctitate quadam ac verecundiâ iis proſpiciebat (3). Aetate magis provecti laboribus corpus firmabant, et, ut patriae in illis aleretur amor, patres ubivis comitabantur, in foro, ruri, in comitiis, in curia

(1) Idem C. 7. (2) Idem l. l. (3) Dial. de Orat. C. 28.

ria (1). Quorum sic gravissimis et sapientissimis de Romanae civitatis commodis praesentes consultationibus, patriam omnium maxime diligere discebant. Cum autem exemplis summam ad virtutem Romani vim tribuerent, more apud eos fuit receptum, ut illustres viri post mortem, ubi funus efferretur, in foro publice laudarentur, eorumque imagines viris, qui toto habitu defunctum optime referrent, imponerentur; quo spectaculo, Polybio judice, verae laudis et virtutis cupidus juvenis nullum pulcrius intueri poterat (2). Huc autem omnium maxime faciebant illustrium proavorum in atriis collocatae imagines, quibus ad virtutem juvenibus vehementissime animus accendebatur. Scilicet non cera illa, neque figura tantam vim in eos habebat, sed memoriâ rerum gestarum ea flamma egregiis viris in pectore crescebat, neque prius sedabatur, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverat (3).

Haec igitur eo egregie valebant, ut boni aliquando illi cives fierent. Verum, ut iidem ingenio non tantum et animi virtutibus, sed et corporis viribus patriae prospicerent, cum mature venationis (4), tum dein potissimum difficillimis belli exercitationibus exercebantur (5), mi-

(1) Gellius N. A. L. 1. C. 23. (2) L. 6. C. 53. (3) Sall. B. Jug. C. 4. (4) Doct. Van den Velden in Diss. de *paerorum apud Romanos variis temporibus educatione et institutione* p. 57. (5) Idem l. l. p. 59.

militiaeque gravisſimis ſenſim asſuefiebant laboribus (1); cujus quo majorem uſum contraherent, principes ſaepe viros in bellum comitabantur. Sic igitur ingenti patriae amore imbuti, aerumnarum patientes, negotiorum periti gerendorum, hostem in bello ferire, murum conſcendere, conſpici, dum tale facinus facerent, adpetebant. Has divitias, hanc bonam famam, magnam nobilitatem putare discebant (2).

Neque tantum ad patriae amorem, gloriae cupidinem, ſed et ad recti bonique ſtudium in juvenibus alendum haec omnia erant comparata. Laudationes illae illustrium defunctorum, praeſtantium imagines proavorum ad omnium eos excitabant virtutum imitationem, quibus hi viri conſpicui fuerant. Et cum primum, ineunte aetate, majores natu propinquae, mox patres omnem vitiorum diligentisſime ab iis arcerent labem, nec eos e pueris egresſos curare et ad frugalitatem (3) abſtinentiam (4), justitiae, religionis, ſenectutis reverentiam, morum omnino honestatem ducere deſinerent (5), majorum non potuerunt non adulti referre et tueri virtutes.

Et haec quidem de puerorum apud Romanos edu-

(1) Van den Velden l. l. p. 61. (2) Sall. B.C. C. 7.
(3) Unde Horatius Sat. L. 2. S 2. v. 92.

. . . . . *Hos utinam inter*
Heroas natum tellus me prima tulisſet.

(4) Valerius M. L. 4. C. 3. Ex. 14. (5) Van den Velden l. l. p. 58.

educatione obiter dixisse sufficiat (1). Quo magis autem morum in Republica Romana percipiatur praestantia, operae pretium est paucis monere de rei domesticae his temporibus conditione. Magna, Sallustio teste, Romanorum domi erat parsimonia. Non luxui aut voluptati, sed utilitati tantum, agris maxime colendis, eorum inserviebant servi. Uxores ipsae vestes nebant, lanam ancillis appendebant, panem pinsebant, rem omnino familiarem curabant. Supellex tenuis, vestes non sumtuosae erant, auri usus modicus et quantus corpori ornando sufficeret. Mulieres porro non in gynaeceis, Graecarum instar, sed in hominum luce degentes, maritos in atrio cum aliis de gravissimis civitatis rebus sermocinantes audiebant; quibus licet se haud immiscerent disputationibus, vel sic tamen eae magnam tum ad rerum civilium peritiam augendam, tum ad patriae amorem alendum, tum etiam ad ingenium acuendum, in eas vim habere debebant. Hinc summa illa reverentia, cum concordia et diligentia mixta. Hinc flagrabat mulier pulcerrimâ diligentiae aemulatione, studens negotia viri curâ suâ majora atque meliora reddere. Nihil conspiciebatur in domo dividuum, nihil quod aut maritus, aut foemina proprium esse juris sui di-

(1) Qui plenam de toto hoc argumento sibi comparare velit notitiam, laudatam adeat Doct. Veldeni dissertationem.

diceret, fed in commune confpirabatur ab utroque, ut cum forenfibus negotiis matronalis fedulitas industriae rationem parem faceret (1). Licet autem victoriis, quas de vicinis gentibus reportabant Romani, lautior in dies eorum res fieret, tantum tamen aberat, ut domesticae haec vitae noceret, ut pristinam potius feveritatem temperaret, mediumque inter illam et fubfecutam corruptelam feriret. Quocirca cum his temporibus, quae proxime finem belli Punici fecundi antecesferunt, modicus esfet luxus, infignis conjugum concordia, laboris asfiduitas, morum omnino integritas, praeftantisfima haec et erat et habebatur aetas.

Sic igitur fignificavimus morum in Republica Romana praestantiam. Tradidimus etiam, quot quantaque ad eos tuendos cum privatim tum publice adhiberentur. Sed, quo plenius pateat, non privatos tantum, aut aliquam civium partem, fed totum populum, ipfam fere civitatem, morum profpexisfe bonitati; ipfa jam, quae huc facient, magistratuum attendamus munera. Et primum quidem Cenfura, quae, Servio Tullio auctore, civium unice cenfum, id est, numerum facultatesque cognoscendas fpectaverat, haec, liberâ Republicâ, ad morum potisfimum referebatur curam, Cenforum-

(1) Verba Columellae de Re Rust. in praef. Lib. 12.

rumque erat, cavere, ut ne a pristina virtute ullo modo recederent cives (1). Neque tamen hîc Romanorum ſubſtitit opera. Sed anxii velut et metuentes, ne unius, quamvis diligentissimi magistratus, difficillimo muneri impar esſet ſtudium, ejus partem, luxus nimirum coercendi, popinarum ganearumque inhibendarum, meretricum, niſi nomen profesſarum et togam ſumentium, ex urbe expellendarum, factorum denique dictorumque turpium puniendorum curam inſuper Aedilibus injunxerunt.

Prouti autem his magistratibus morum regimen mandarunt Romani, ſic ipſi omnium maxime caverunt, ut ne pravi cives munera obirent. Cenſoribus Senatus lectione et morum inquiſitione omne ex eo probrum arcendum dederunt. Verum, cum hi nec magistratus creare, nec creatos munere privare posſent, et tamen e re publica esſet, optimis tantum civibus rerum committi administrationem, voluerunt, ut, qui magistratum peterent, ante Comitiorum diem nomina profiterentur: ut ita in eorum inquireretur mores, et exploraretur, num digni esſent, quibus aliqua Reipublicae pars administranda committe-

(1) Eleganter profecto Montesq. Gr. et Déc. des Romains C. 8. p. 65. A Rome, — tout ce qui pouvoit — empècher la perpetuité du coeur ou de l'esprit du citoyen étoit reformé par les Cenſeurs.

teretur. Quod si amplissimis honoribus indigni habiti essent, nec recipiebantur a magistratibus, nec, etiamsi maxime vellet, creare eos populus poterat. Ex his jam omnibus patet, populum Romanum optima hac aetate id praecipuum habuisse, ut morum, qua se commendabat, tueretur, firmaret, et velut perpetuaret excellentiam. Huic autem quae quantaque debuerint, age jam accuratius investigemus.

Constat profecto a morum conditione antiquitus plerumque patriae pependisse amorem. Pro eâ quaevis Lacedaemonii et Athenienses, integris moribus, subierunt, sed, quamprimum illi labem contraxerant, suam potius cives, quam civitatis attenderunt salutem. Pariter Romani in hac morum praestantia eo patriam complexi sunt amore, ut unice illam cogitarent, et privatis commodis ejus longe anteponerent salutem.

Neque enim duces tantum et principes, veluti Brutus, Scaevola, Cocles, Fabricius, Regulus, Scipiones, ea perpetrarunt facinora, quae cum suo ipsorum detrimento, certissimâ subinde morte, patriae profutura putabant; sed gentes et exercitus saepe, patriae amòre flagrantes, in ea alacres proficiscebantur loca, unde redituros se numquam arbitrabantur (1). In militibus autem

(1) Cic. Tusc. Quaest. L. I. C. 42. Est autem rei exemplum in Fabiis trecentis Liv. L. 2. C. 48.

tem ea erat constantiae, et fortitudinis excellentia, quae non nisi in patriae amantissimis reperiatur civibus: et quamquam gravissimas nonnunquam accipiebant clades, ipsae tamen illae, quo essent ignominiae dolore, qua aerumnarum patientia, qua virtute in bello, atque morum omnino excellentia, luculenter declarabant. Sic, ut hoc utar, cum Romanus exercitus ad Furcas Caudinas insidiis a Samnitibus circumventus sub jugum mitteretur, omni morte militibus haec adeo tristior erat ignominia (1), ut Romam tendentes nec oculos attollerent, et prae moerore omnium colloquia effugerent. Hinc socii, Romanae indolis ignari, una cum armis animos ablatos, nec Samnites urbem cepisse putabant, sicut ante Galli, sed Romanam virtutem et ferociam. Ast vero id, quod erat, suspicabatur Ofilius Calavius. Silentium illud obstinatum, fixos in terram oculos, surdas ad omnia solatia aures, pudorem intuendae lucis, ingentem molem irarum ex alto animi cientis indicia habebat. Aut se Romana ingenia ignorare ajebat, aut silentium illud Samnitibus flebiles brevi clamores gemitusque excitaturum, Caudinaeque pacis aliquanto Samnitibus, quam Romanis, tristiorem fore memoriam, quippe suos quemque coràm animos habiturum, ubicumque congressuri sint,

(1) Liv. L. 9. C. 6.

sint, saltus Caudinos non ubique Samnitibus fore (1). Hanc viri opinionem egregie confirmavit eventus. Nam, cum et Romani majorem ex ignominiosa pace, quam ex nunciata clade percepissent dolorem, et, qui eam subierant, milites vehementer bellum renovare cuperent, huic omnium voluntati haud ante obtemperandum censebat Publilius Consul, quam, concione advocata, exercitum allocutus esset. Verum, teste Livio, prae clamore poscentium pugnam nulla adhortatio Imperatoris audiebatur. Suus cuique animus memor ignominiae adhortator aderat. Vadebant igitur in proelium urgentes signiferos: et, ne mora in concursu pilis emittendis, stringendisque inde gladiis esset, pila, velut dato ad id signo, abjiciebant, strictisque gladiis cursu in hostem ferebantur. Nihil illic imperatoriae artis, ordinibus aut subsidiis locandis fuit: omnia ira militaris prope vesano impetu egit (1). Hac igitur per totum bellum exulceratos ignominiâ animos stimulante (2), tam strenue adversus Samnites rem gesserunt, ut, nullos non exantlantes labores, certissimam victoriam reportarent; nec ante a vindictae dulcedine desisterent, quam eandem jugi ignominiam paterentur hostes, quorum demum hor-

(1) Liv. verba l. l.

(1) L. 9. C 13. (2) C. 14.

horrenda ſtrage et gravi dolore Româ ſe iterum dignos cives habebant.

Verumtamen in adumbrandâ motum ad patriae amorem civitatisque ſalutem efficaciâ, nequaquam ſilentio mittendae ſunt feminae. Hae enim morum excellentiâ viris haud cedentes, pariter ſuis commodis Reipublicae cauſam anteponebant. Cujus equidem rei haud luculentius esſe putem documentum, quam quod in ſummo rerum discrimine et Gallici et Punici belli tempore, aurum, argentum, omniaque ornamenta voluntariâ collatione in aerarium detulerunt (1). Sed quid milites, feminas, aut aliquam civium partem cito, cum apud omnes omnino civitatis ordines ad patriae amorem hanc morum integritatem valuisſe novimus? Gravisſimae Patricios inter et Plebejos agitabantur contentiones. Amplisſima ſoli munera obire, connubia a Plebe ſeparata habere, omni in eam ratione dominari conabantur Optimates. Adverſus quos quum Plebis ſemper cauſam agerent Tribuni, nec facile illi auctoritatem dignitatemve imminui paterentur, ita disſociabantur ordines, et odio in ſe invicem proruebant, ut duabus veluti inimicisſimis ſibi gentibus urbem Romam conſtitisſe diceres. Et vel ſic tamen, quamprimum hostes adventare nunciabantur, vel Patricii, ut ne patriam

---

(1) Liv. L. 5. C. 25.

triam defendere recusarent Plebeji, faciliores se praebebant; vel Plebs, suam interea conditionem negligens, militum se delectui inscribi haud repugnabat; et omnes in pacis tempus rixas differentes, patriae unice discrimen cogitabant. Sic igitur hoc Romanis erat insitum prorsus, ut, quanta privata esset calamitas, eam tamen haud cum patriae effugerent incommodo.

Ex his jam omnibus praeclaram morum ad civitatis vigorem ducimus efficaciam. Nam, cum, integerrimis illis, tam militiae quam domi unam omnes cogitarent, colerent, venerarentur patriam, nec operae pretium quidquam illâ indignum vel admitterent, vel admissum negligerent, non poterat non et victoriis propagari et vero civium virtute stabiliri res Romana. Hinc igitur factum, ut corporis animique viribus quibusvis nisi praestarent, at pares certe essent hostibus, et numero saepe pauciores, in summas angustias adducti, a praesenti propemodum excidio adversus Gallos, Samnites, alias Italiae gentes egregie civitatem tuerentur. Hinc unice eum in modum creverunt, ut, licet ad Ticinum, Trebiam, Thrasymenum, Cannas una cum praestantissimis ducibus aliquot milleni periissent, omnesque fere ad Hannibalem descivissent socii (1), vel sic tamen Carthaginienses, si continuo Romam

(1) Liv. L. 22. C. 61.

niam tetendisſent, haud urbem capturi fuisſe videantur. Post tot enim clades et defectiones ſociorum nulla timoris ſignificatio, nulla pacis mentio fiebat, ſed adeo majori civitas, quam unquam in rebus ſecundis, erat animo, ut Terentio Varroni ex Cannenſi ſtrage, cujus ipſe praecipuus auctor fuerat, reduci, obviam irent omnes ordines, et gratias agerent, quod de Republica non desperasſet (1). Quid quod in ſumma militum inopia octo hominum millia, quos Poenus in castris ceperat, redimendos haud cenſuerunt, cum parvâ id fieri posſet pecuniâ (2). Tam excelſo in rebus afflictis animo ipſe Hannibal fractus fuisſe fertur (3).

Sic igitur morum integritate ad ſummam Respublica Romana pervenit auctoritatem; et, quoniam eorum corruptela diligenter impediebatur, diutisſime illa et ſtetit et viguit. Superest jam, ut ejus post corruptos mores adumbremus lapſum.

Devictae hactenus gentes cum haud magnas in civitatem attulisſent divitias, in lauta quidem, nec opulenta tamen re Romani verſati fuerant. Postea vero, debellatis Carthaginienſibus, ditisſimos et adorti ſunt et ſibi ſubjecerunt Graeciae Aſiaeque populos, unde dici vix potest, quantopere mores ſint corrupti; quorum integritatem licet

(1) Liv. l. 22. C. 61. Cic. de off. L. 3. C. 11.
(2) Liv. L 22. C. 58. (3) Cic. de off. L. 3. C. 32.

cet magnae semper labefactare soleant opes, haec tamen in Romana civitate ad corruptelam erat accessio, quod non pedetentim illae et gradu, sed subito atque praecipiti cursu comparabantur.

Nobilissimae de Philippo, Antiocho, Aetolis, Gallograecis reportatae victoriae (1) sedecim annorum spatio a lautâ civitatem conditione ad summam opulentiam duxerant. Accedebat porro, quod, Carthagine imperii aemulâ fractâ, hostiumque metu imminuto, intentiori curâ in opibus et acquirendis et augendis plerique versabantur, ac denique, quod maximum, una cum divitiis peregrini, ad luxuriam, ignaviam, mollitiem compositi importabantur mores. Hinc non poterant non celeriter a virtute desciscere Romani. Itaque cum opibus luxuria invaluit, avaritia, ignavia, Deorum, morumque patriorum contemtus, omninoque

Non auro, tectisve modus: mensasque priores
Aspernata fames: cultus gestare decoros
Vix nuribus, rapuêre mares: fecunda virorum
Paupertas fugitur; totoque arcessitur orbe
Quo gens quaeque perit (2).

Quo plura vero corruptelae aliunde afferebantur invitamenta, eo majores vitia vires capiebant. Man-

(1) Liv. L. 33. C. 9. sqq. L. 37. C. 43. L. 38. C. 8. et C. 27.

(2) Luc. Phars. L. 1. v. 160. sqq.

Manlii de Gallograecis victoris milites lectos aeratos, vestem ſtragulam pretioſam, plagulas et alia textilia, et, quae tum magnificae ſupellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam advehebant; tum psaltriae, ſambucistriaeque et convivalia ludionum oblectamenta addebantur epulis: epulae quoque ipſae et curâ et ſumtu majori apparabantur: tum coquus, vilisſimum antiquis mancipium, et aestimatione et uſu in pretio erat, et, quod ministerium fuerat, ars haberi coepta (1). His omnibus ita civium mentes inficiebantur, ut et Senatus in coercendâ corruptelâ irritam poneret operam (2), et vero Bacchanalia, teterrimorum officina flagitiorum, invalescerent; e quibus cum luculenter appareat, quae morum ad ipſa probanda esſe deberet pravitas, haud plane illa ſilentio mittenda videntur. Haec igitur ſacra, ex Etruria Romam perducta, initio tantum ad feminas pertinebant, nec quidquam flagitioſi continebant, mox vero, permixtis cum mulieribus viris, nocturnoque ex diurno reddito ſacro, ad nullas non referebantur libidines. Virorum inter ſe et cum mulieribus ſtupra fiebant, viginti annis minores initiabantur, quo facilius captarentur, aliorumque inſervirent voluptatibus, misce-

(1) Liv. L. 39. C. 6. (2) Huc pertinent leges ſumptuariae, Orchia imprimis, quam perlatam vixdum violari queritur Cato apud Macrobium Saturn. L. 3. C. 17.

cebantur cum tenellae admodum aetatis puellis majores, nulla omnino pudoris aut reverentiae erat significatio (1). Hujus nefandae libidinis milleni aliquot homines, mulieres imprimis, et iis simillimi viri participes erant, ac, nisi Hispalae Feceniae in Aebutium amore, excellentique Postumii Consulis innotuisset operâ, totam, contagionis instar, pervasisset Italiam. Sed de ea erit infra dicendi locus.

Hanc morum corruptelam mox promovit de Perseo reportata victoria, qua tanta pecuniae vis Romam translata fuisse fertur, ut per centum et, quot excurrit, annos ab omni tributo cives liberarentur (2). Tum autem adeo, quorum semina jam aderant, creverunt vitia, ut pauciora in dies antiquae virtutis reperirentur exempla. Graecum unice, patrio contempto, cupiebant ornatum, delicatos majori pretio, quam necessarios emebant servos, pravisque eorum moribus se imbui patiebantur. Milites, pristina continentia et frugalitate missis, novis in Graecia libenter indulgebant voluptatibus. Imo vero tanta omnibus inerat libido et mollities, ut juvenes nonnunquam pro pudicitiâ et libertate exquisitissimos cibos compararent, populus vero de gravissimis rebus suffragia ebrius ferret (3). In hoc au-

(1) Liv L. 39. C. 8. (2) Cic. de off. L. 2. C. 22.
(3) Macrob. l l. L 3 C 16.

autem morum lapsu ne defuisse existimemus, quae vitiorum contagionem antevertere conarentur. Aderant Censores, ferebantur leges sumptuariae, pristinae nonnulli virtutis exhibebant exempla. Verumtamen et sic inveteraverat atque per omnes omnino civium ordines manaverat malum, et tanta quotidie novis divitiis peregrinisque moribus capiebat incrementa, ut nec principum virorum exempla, nec Senatus cura, nec Censorum severitas radicitus illud evellere valeret (1), sed potius religiosissimam eorum operam nova subruerent invitamenta vitiorum. Quo innumera imprimis referas omnis luxuriae genera e Carthagine et Corintho dirutis Romam allata, molles et delicatos servulos undecumque in imperium Romanum proruentes, suâque illud pravitate inficientes, Attali denique hereditatem et L. Sullae victorias; quibus omnibus factum, ut, quae supererant avitae probitatis exempla, ludibrio haberentur et tantum non contemnerentur. Tum paupertas probro haberi, innocentia pro malivolentiâ duci coepit, privati domos atque villas urbium in modum exaedificare, subvertere montes, maria consternere; lubido stupri, ganeae, ceterique cultûs omnes invadere; viros pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere, vescendi causâ

(1) Plut. in Cat. Maj. p. 346.

ſa terrâ marique omnia exquirere (1); dormire prius, quam ſomni cupido esſet; non famem aut ſitim, neque frigus, neque lasſitudinem opperiri, ſed ea omnia luxu antecapere (2). Disciplina militaris imminuta magnopere bello Macedonico, ſed a Scipione in Hispania revocata (3), ſub Sulla evanuit plane. Hic unice curans, ut militum ſibi animos conciliaret, turpibus eorum, nec militari ſeveritate dignis indulſerat lubidinibus. Locis amoenis, voluptariis in otio ferocem militum indolem molliverat. Amare, potare, ſigna, tabulas pictas, vaſa celata mirari didicerat; ea privatim ac publice rapere, delubra ſpoliare, ſacra profanaque omnia polluere (4).

In hac autem ad quaevis vitia proclivitate haud profecto quisquam miretur, rem Romanorum domesticam teterrimam aevi contraxisſe maculam. Mulieres jam ante Sullae tempora corpori ornando, quam rei familiari intentiores, ita nunc totae luxui indulgere coeperant, ut et rei domesticae curam ac liberorum educationem vilisſimis ſervis relinquerent, et vero id antiquisſimum haberent, ut, quibus genio indulgerent, undecumque ſibi

(1) Quorum luculenta exempla apud Meinersium habentur *Hist. de la Décadence des moeurs chez les Romains* C. 14. ſqq. p. 291. (2) Sall. B. C. C. 12. ſeq. (3) Val. Max. L. 2. C. 7. Ex. 1. (4) Sall. B. C. C. 11.

ſibi pecunias corraderent. Ex istiusmodi igitur luxuriâ et avaritiâ exſtiterunt impudicitia, grande aes alienum, flagitiorum cupido, muliebrium omnino officiorum negligentia et deſpicientia. Quibus vitiis quum pinguisſima conſumerentur patrimonia, aegerrime viri, nec niſi legibus et ingentibus immunitatibus pellecti, nuptias inire ſolebant.

Ex hac autem rei domesticae corruptela fieri non poterat, quin gravisſimum puerorum educatio caperet detrimentum. Haud ſubito illa, ſed per plurimas jam aetates una cum moribus a pristina remittens excellentia facillime aevi labem contrahebat. Parentes itaque infantem Graeculae alicui ancillae delegabant, cui unum aut alterum adjungebant ex omnibus ſervis plerumque vilisſimum, nec cuiquam ſerio ministerio accommodatum. Horum fabulis et erroribus teneri et rudes animi imbuebantur, nec quisquam in tota domo penſi habebat, quid coram infante diceret aut faceret. Ipſi etiam parentes nec probitati, neque modestiae parvulos adſuefaciebant, ſed lasciviae et libertati, per quas paulatim impudentia irrepebat et ſui alienique contemtus (1). Quo vero magis adolescebant, eo plura affluebant vitiorum genera. Histrionum favore, gladiatorum equorumque ſtudiis animi occupabantur, nec aliquid bonis artibus loci relinquebatur (2). Ipſi quo-

(1) Dial. de Or. C. 29. (2) Idem l. l.

quoque paedagogi libertatis ſpe inducti, turpia adolescentum dicta factaque probabant, eorumque foedisſimis ſaepe et libidinibus favebant et amoribus, quibus omnibus tantam indolis contrahebant pravitatem, ut, parentum inſtar, majorum mature ludibrio haberent et contemnerent virtutes, ſuis autem opibus et generis nobilitate unice gloriarentur. Etenim haud amplius ad claros ſe conferebant et ſapientes viros, a quorum latere non diſcedentes opinionem afferrent populo, eorum ſe fore ſimiles, quos ſibi ipſi ad imitandum delegisſent (1), ſed familiae vetuſtate ad ſummos ſe in Republicâ honores perventuros putabant (2). Sic igitur in utero pene matris vitia concipientes pueri (3), in aliorum mox, parentum maxime, foeda intuentes exempla, errorumque varietate et opinionum perverſitate inferti atque obruti, communem ſponte referebant corruptelam; luxuriae, mollitiei, ignaviae dediti, laboribus erant impares et tantos ſumtus faciebant, ut ad res familiares conſumendas eos genitos fuisſe diceres (4). Hinc in grande aes alienum incidentes, rapere, conſumere, aliena cupere: pudorem,

(1) Cic. de off. L. 2. C. 13. (2) Sall. B. J. C. 85.
(3) Dial. de Or. C. 29. (4) Sall. in fragm. apud August. *de Civ. Dei* L. 2 C. 18.

rem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere (1).

Hac itaque educationis pravitate factum, ut parentum vitia propagarent, et ftabilirent liberi; ac, quandoquidem adulti illi nullo modo ferre poterant, quod fuis voluptatibus adverfaretur, inftitutum, eo Ciceronis aetate res proceffit, ut Cenforum arctisfimis limitibus circumfcriberetur poteftas. Tum autem virtutum civilium, quibus fuam Romani gloriam debuerant, plane interierunt reliquiae. Pro pudore, pro abftinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia unice vigebant (2).

Et fic quidem morum in Republica Romana post bellum Punicum fecundum ad Augusti tempora adumbravimus conditionem. Ulterius argumentum ideo haud perfequimur, quoniam Rempublicam proprie fic dictam et a nobis in hac disquifitione unice fignificatam fub Imperatoribus Romani non habuerunt. Quocirca continuo explicetur vis et efficacitas, quam in res civiles morum lapfus habuit.

Haec maxime in antiquis civitatibus corruptelae ratio fuit et progresfus, ut primum ad folos principes pertineret, mox latius ferpens, per plures civium ordines manaret, omnesque fenfim inficeret atque enervaret. Et quandoquidem

(5) Sall. B. C. C. 12. (2) Idem l. l. C. 3.

istiusmodi corrupti cives explere nitebantur libidines, quibus non nisi ingenti pecuniae vi satisfieri poterat, earumque parandarum unice prae divitiis opportunitatem habebant optimates, id est, diutius in luxuriâ versati atque opes nacti, fiebat, ut his saepius pauperiores indigerent, eorumque et voluntati et studiis obsequerentur. Hinc autem optimates, plurimos a se cives pendere prorsus intelligentes, pro eâ, qua ipsi erant, morum pravitate, superbum in alios exercere nitebantur dominatum, et sic ad oligarchiam civitatis conditionem componentes, aequalitatem, firmissimum ejus fulcrum et praesidium, tollebant prorsus.

Neque tantum aequalitatis sic tollebatur ratio; sed patriae simul imminuebatur amor. Nam, cum optimates eo superbiae et insolentiae processissent, ut, quo lautius viverent, liberiusque voluptates explerent, aliorum sibi et possessiones et jura vindicarent; pauperiores vero eorum vix ferentes dominatum, eum tamen prae suâ corruptelâ haud frangere valerent; atque corrupti omnes suas unice res cogitarent, opes augerent, in semet invicem odio proruerent; vix quidquam vel voluntatis, vel temporis, vel corporis animique virium ad patriae causam rite agendam relinquebatur. Istiusmodi autem civitates, in quibus suum quisque emolumentum spectat, nec omnium commodum ad unam patriae auctoritatem refertur

tur et dignitatem, hac igitur quam prope a ruinâ absint, nemo non facillime intelligit. Sic igitur morum perversitas et aequalitati tollendae, et patriae amori minuendo, et civitatibus debilitandis atque pessumdandis unice inserviebat. Et haec quidem ut universe de antiquis Rebuspublicis, sic omnium maxime de Romana valent civitate.

Postquam Graecis Asiaticisque victoriis ingens apud Romanos divitiarum et magnificentiae exstiterat studium, magnamque aviti mores subierant commutationem, magnopere se nobiliores opibus extulerunt; et cum humiliores plerique, ad sumtuosas libidines explendas saepius iis indigerent, dominari sensim in eos ditiores coeperunt. Quod quo magis ipsis initio cedebat, eo majorem insolentiam et superbiam concipiebant, ut, invitis etiam legibus, sibi pauperiorum jura et possessiones vindicarent. Cum porro omnes luxuriae essent dediti, nec tamen sumtibus faciendis plerorumque sufficeret patrimonium, grande aes alienum contrahebant, suamque in dies deteriorem reddebant conditionem. In tali autem et singulorum ad opulentiam proclivitate, et ordinum dissociatione atque inaequalitate quî poterat patriae integer manere amor? Nam, praeterquam quod corporis animique vires molli otio debilitatae fortitudini, constantiae, prudentiae impares fiebant, id praecipuum omnes ha-

habebant, ut cum Reipublicae detrimento vel ex iis, quas suâ ipsorum culpâ subibant, emergerent calamitatibus, vel suam quavis ratione firmarent auctoritatem. Quales quum milleni aliquot Bacchanalibus essent initiati, non tantum ad foedissimas omnis generis libidines haec sacra referebantur, sed falsi testes, falsa signa, testimonia, indicia, venena, caedes ex ea officina exibant; et, cum derepente nimias hic coetus vires caperet, quam ut privatorum facultatibus distrahendis se contineret, ipso Reipublicae excidio sibi prospicere in animo habebat (1).

Tum vero, quoniam mali universos infecerat contagio, pluribus sensim ad magnificentiam opibus indigebant, majus aes alienum conflabant, et omnem auctoritatis firmandae, pecuniaeque parandae sibi justam putabant viam. Magistratus in Provinciis parentes vexabant et expilabant (2), judices e Senatorio ordine lecti divitum largitionibus corrumpi se patiebantur (3).

Prouti autem haud uno eodemque tempore suum perversitatis fastigium mores attigerunt, sed plurimis corruptelae illecebris insignem pra-

(1) Liv. L. 39. C. 8. et C. 16. (2) Freinsh. Supp. ad Liv. L. 49. C. 58. (3) Appianus de Bello civ. L. 1. p. 362. Steph. ed.

pravitatem contraxerunt, ſic etiam rerum civilium arctisſime cum moribus conjunctus lapſus ſenſim et gradatim obtinuit; adeo ut, quo inſignior animorum fiebat perverſitas, eo longius a vigore recederet civitas. Sic igitur post deletam Carthaginem et Corinthum, aliorum mirum in modum auctis divitiis, lubidinibus, grasſandi dominandique ſtudio, aliis ſummâ paupertate presſis, univerſis vero in nullo hostium metu trahentibus ac rapientibus, in duas omnia partes abstrahebantur, quaeque hactenus media fuerat, dilacerabatur Respublica (1). Cujus quidem mali, ut jam antea initia apparuerant, ſic Gracchorum maxime aetate tota prodiit vis et amplitudo. Quod quo plenius percipiatur, rem paulo altius repetere est operae pretium.

Vicinorum, quos bello devicerant Romani, parvo aere ſolebant pauperibus locare agros. Ditiores autem, licet jam ita in plebem grasſarentur, vix ut accesſioni locus ſupereſſe videretur, hac tamen avaritiâ et immanitate ſuperbum dominatum cumulabant, ut ingenti pecuniae vi ac fraude, ſublatis egenis, hos ſibi agros compararent. Neque vero ad eos colendos inopes, at liberos tamen et Romanae civitatis participes, adhibebant; ſed, his una cum familiis

(1) Sall. B. J. C. 41.

liis ſuas ipſis terras relinquere coactis, omnique publicae ſalutis posthabitâ curà, quo pinguius lucrum perciperent, vilisſimis undecumque Romam tendentibus ſervis eorum curam mandabant (1). Tum igitur et ingens populi pars ad ſummam redigebatur inopiam, et tota fere Italia ſuis cultoribus vacua peregrinis ſervitiis obruebatur, et paucisſimi quidam e divitum genere velut *αὐτοκράτορες* in reliquos omnes tyrannidem exercebant. Huic tristisſimae plebis conditioni ut jam C. Laelius Scipionis amicus occurrere decreverat (2), ſic vere ſe oppoſuerunt Tiberius et Cajus Gracchus. Plebis uterque Tribunatu fungens plurimas in ejus gratiam tum imprimis agrarias promulgavit leges. Quibus quum et agros pauperibus restitutum, et ab ingentibus facultatibus aliquid merito detractum, et ſuam auctoritatem imminutum iri divites intelligerent, ſumma ima moverunt, ut ne ad effectum hae leges perducerentur. Et primum quidem Tiberio, optimo civi, Crasſi, Scaevolae, Appii Claudii auctoritate, Corneliae matris adhortatione, ſuâque omnium maxime virtute ad plebis cauſam agendum incitato, huic igitur tanto, tamque praecla-

(1) Plut. in Tib. et C. Gracchis p. 827.
(2) Plut. l. l.

claro viro Marcum Octavium, ejus in Tribunatu et collegam et familiarem et multis nominibus ſtudioſum, oppoſuerunt (1). Pariter Caji, populo acceptisſimi, per Livium Druſum et L. Opimium callide quidem, ſed honeste parum irritos reddiderunt conatus (2). Dein vero, cum plebem calamitatibus tamdiu jactatam, et omni fere morte tristiorem pasſam ſervitutem (3), ast nunc ſub egregiis ducibus ſpiritus ſumere viſam, nec criminandis Gracchis, nec ingentibus beneficiis, nec Tribunorum intercesſione, placare posſent et a propoſito avertere, ne tamen cum ſuo incommodo alteri civium parti, omninoque civitati ſubveniretur, Gracchos interficiendos curaverunt (4). Sic igitur, omni patriae misſo amore, partium inſtar, implacabili in adverſarios proruentes odio, eorum oppresſione et caede ſuam unice auctoritatem ſuperſtruere ſtudebant. Cum autem Romani hac aetate pro inſigni morum corruptelâ ſuam, non Reipublicae, cogitarent dignitatem, mirum profecto haud est, ſi nulla non foedisſima, civitati quidem noxia, at ſuis commodis inſervientia ſinguli admitterent fla-

(1) Plut. in Gr. p. 828. ſqq. (2) Idem l. l. p. 838. ſqq. (3) V. egregia Tiberii Gracchi apud Plut. obvia oratio p. 828. (4) Plut. pasſim, imprimis p. 833, 842.

flagitia, eoque fenfim procederent, ut auro argentoque omnia postponentes, venalem urbem incolerent, mature perituram, fi emtorem inveniret (1).

In tam corrupta partibusque dilacerata civitate fponte ambitiofi et audaces homines partium fe fautores profitentes, easque largitionibus fibi devincientes fummam rerum ad fe traducere, et tyrannidem exercere moliebantur. Sic, cum oppresfae hactenus plebis Marius, optimatium vero Sulla caufam propugnare haberentur, haud illi vel populi jura, vel nobiliorum auctoritatem fpectabant fed id agebant, ut factione quique fuâ adjuti et ftipati fummâ rerum foli potirentur. Unde, cum Gracchorum caede in civium fanguinem faevire didicisfent Romani, atrocisfima ac horrenda prorfus existebant bella civilia; e quibus qui victores exibant, quoniam pro arbitrio omnia peragebant, abfolutamque fibi asferebant potestatem, durisfimam Romani patiebantur fervitutem.

Interea vero alium alio opprimente, civitatisque vires in privatum commodum tollente prorfus, eo tandem res devenit, ut non, nifi unius imperio, civitas administrari posfe videretur. Quod quidem in tantâ omnium perturbatione ad otium

et

(1) Sal. B. J. C. 35.

et tranquillitatem insigne emolumentum sub Octavio obtinuisse novimus. Ast, quoniam ab illo inde tempore Rempublicam vere sic dictam Romani haud habuerunt, ulterius hocce non persequimur argumentum. Ex iis autem, quae disputavimus, unicuique facile pateat, morum corruptelam civitatem Romanam debilitasse et pessumdedisse. Quod cum suo jam aevo futurum praevideret Cato Major, prudenter cives monebat, ut, si virtute et continentiâ magni evasissent, ne ad deterius vergerent; sin vero intemperantiâ et pravitate, meliora amplecterentur, his enim eos jam satis crevisse vitiis (1).

§. 6.

Cum tanta haberetur antiquitus morum ratio, factum est, ut summâ esset cum Athenis Areopagitarum, tum Romae Censorum auctoritas et existimatio.

Moribus stetisse civitates antiquas, satis jam nobis probasse videmur ex ipsarum indole, tum ex principum virorum legibus, tum, quod omnium gravissimum est, ex veterum gentium historiâ. Quae cum universa esset antiquitatis ratio, mirum videri non potest, exstitisse apud Ro-

(1) Plut. in vita p. 340. C.

Romanos magistratum peculiarem, qui propter morum maxime curam summo haberetur honore. Et vero sic accidit, ut similis esset Athenis Areopagitarum ratio, quos veneratione plane prosequebantur Athenienses. Quod, quo magis illustretur argumentum nostrum, paucis hoc loco exponendum.

Gravissimas causas dijudicabant Areopagitae, sed insigne item munus habebant, ut moribus prospicerent. Pueris tutores et curatores dabant. Cavebant, ut secundum facultates alerentur et instituerentur, nec desidiae et socordiae indulgerent. Neque tantum puerorum, sed omnium civium mores attendebant. Quotquot incondite viverent, morumve pravitatem patefacerent, pro delictorum gravitate puniebant. In publicos se coetus, nuptias v. c. et solennia sacrificia conferebant, ut intemperantiam in conviviis celebrandis et libidinem impedirent. Quam vero in pueris, diligentius etiam in adultis coercebant socordiam. Eorum domos intrantes in singulorum vivendi rationem inquirebant. In ignavos et pigros animadvertebant. Videbant, quo quisque quaestu se suosque aleret. Arcebant sordidum et turpe lucrum, fraudes, furtum. Curabant omnino, ut ne civium mores corrumperentur (1). Atque hanc morum curam

(1) Isoc. in Areop. p. 332 sqq. Plut. in Sol. p. 90. E.

ram tantâ exſequebantur religione, ut non modo nil eos lateret mali, verum inquirerent etiam, quinam peccaturi viderentur (1). Non igitur transgresſionibus tantum puniendis et poenae metu a vitiis deterrebant cives, ſed id maxime agebant, ut nil illi poenâ dignum committere vellent (2).

Idem igitur Athenis Areopagitarum, et Romae Cenſorum erat munus, et qui Cenſoribus, idem quoque Areopagitis conſtabat honos. Nam honoratisſimum, ſanctisſimum, omnibus, quae in Graecia aderant, praestans eorum habebatur tribunal (3); de quo, ex Demosthenis testimonio, tot tamque praeclara posſent proferri, quot in aliud Graeciae judicium caderent nullum (4). Atque haec Graecorum de eo ſententia Ciceroni ſic probata fuit, ut Romani Senatus laudes haud efficacius ſe Attico ſignificare posſe putaret, quam cum Areopago eum comparando. *Romanae*, inquit, *ſe res ſic habent. Senatus ἄρειος πάγος. Nihil conſtantius, nihil ſeverius, nihil fortius* (5). Quid? quod Solonis in eo condendo conſilium nobilisſimae Themistoclis victo-

Valerius Max. L. 2. C. 6. Ex. 4. et auctores, quos citat Potter. l. l. p. 91. (1) Iſoc. l. l. p. 335. (2) Idem p. 332.
(3) Iſoc. l. l. p. 329. Cff. Script. quos citat Bergman l. l. pag. 127 et 139. (4) In Orat. adv. Aristocratem Tom. I. p. 641. (5) Ep. ad Att. L. 1. Ep. 14.

toriae prope anteponebat. Quamvis, ait, Themistocles jure laudetur, et sit ejus. nomen, quam Solonis, illustrius, citeturque Salamis clarissimae testis victoriae, quae anteponatur consilio Solonis ei, quo primum Areopagum constituit: non minus praeclarum hoc, quam illud, judicandum est (1).

Quandoquidem igitur in morum conditione antiquarum civitatum salus vertebatur, et alia ad illos regundos exstiterunt instituta, et Athenis Areopagitis, Censoribus Romae istiusmodi fuit commissum munus, quod, ut mores spectabat, sic praecipuam iis auctoritatem conciliaret.

Caeterum in totâ hac caussa eadem est gentium, quae singularium hominum ratio. Est hoc unicuique, ni prorsus sit ingratus, vere insitum, ut, quem suis rebus prospicere, praeceptis se monitisque adjuvare, ad virtutis amorem adducere intelligit, hunc igitur veneretur. Eadem veteribus institutorum, quae mores spectabant, suo pretio habendorum caussa erat. Nam, cum a civium moribus civitatum tum incrementum et vigor, tnm lapsus et interitus plane penderet, non poterant non istiusmodi instituta, quibus omne fere ad civitatem firmandam et augendam inerat momentum, summâ esse existimatione. Quem-

(1) De Off. L. 1. C. 22.

Quemadmodum igitur unusquisque homo eo majori alios loco habet, quo melius de felicitate suâ promovendâ meruerunt, quoque aegrius eorum operâ caruisset; sic magnus quoque antiquitus illis institutis constitit honos, quae civitatum vigori stabiliendo et augendo inservirent, quorumque ipsae non nisi aegerrime tulissent desiderium.

Et sic quidem videri possit speciminis nostri profligata jam et ad exitum fere perducta quaestio. Attamen, ut ne, quae huc faciunt, alia negligamus gravissima, operae pretium est, hanc Censoriae auctoritatis et existimationis causam ex peculiari item et civitatis Romanae ratione et Romanorum indole confirmare. Nam vel fallor equidem, vel valebit haec disquisitio ad eam, quam hactenus proposuimus, sententiam illustrandam et commendandam.

SECTIO SECUNDA.

DE PECULIARI ET CIVITATIS ROMANAE RATIONE ET ROMANORUM INDOLE.

§. 1.

Peculiaris civitatis Romanae ratio.

Cato, teste Cicerone, dicere solebat, ob hanc causam praestare Romanae civitatis statum ceteris civitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, quorum suam quisque rem publicam constituis-

misſent legibus atque inſtitutis ſuis; ut Cretum Minos; Lacaedemoniorum Lycurgus; Athenienſium, quae perſaepe commutata esſet, tum Theſeus, tum Draco, tum Solo, tum Clisthenes, tum multi alii: postremo exſanguem jam et jacentem doctus vir Phalereus ſustentasſet Demetrius: Romana autem Respublica non unius esſet ingenio, ſed multorum; nec una hominis vita, ſed aliquot conſtituta ſeculis et aetatibus (1).

Et profecto ex hac gravisſimi viri ſententia et veterum civitatum, et Romanae Reipublicae diverſam perſpicere licet rationem. Etenim in illis a legumlatorum ingenio magistratuum inſtitutio, publici privatique juris deſcriptio, omnis omnino rerum administrandarum profecta fuit ratio. Romae vero nec uni viro, nec aetati ſuam haec debuerunt originem, ſed variis illa exſtiterunt temporibus et ab ipſa potius populi, a totius civitatis manarunt voluntate. Non illic, expulſis Regibus, fuit, qui legislatoris inſtar duobus magistratibus regiam plane mandaret potestatem; nec continuo horum munera rite fuere circumſcripta, ſuaeque aliis magistratibus asſignatae partes: ſed Romani ipſi in Comitiis annua imperia binosque crearunt Conſules

(1) De Rep. L. 2. C. 1.

les; quorum eadem, quae Regum, erant mune-
ra; et dein demum, cum hi prae bellorum fre-
quentiâ rebus in urbe peragendis impares eſ-
ſent, ſenſim ſenſimque ex ipſius populi volun-
tate alii prodierunt magiſtratus. Sic civium
cenſus per ſeptemdecim annos a Coſſ. inter-
miſſus ad Cenſores translatus fuit. Pariter ju-
riſdictio, quam hactenus adminiſtraverant Con-
ſules, ad Praetorem tranſiit, qui omnibus in
urbe habitantibus jus diceret. Et ipſe ille Prae-
tor dein, negotiorum multitudine vexatus, pri-
mum unum, qui peregrinorum lites dirimeret,
mox vero, regionibus quibusdam in Provinciae
formulam redactis, plures nactus eſt collegas.
Cenſores vero quemadmodum primum cenſui
agendo ſuffragiis ipſe populus praefecit, ſic dein,
lubente quoque populo, eorum ita aucta eſt
poteſtas, ut Romanorum vectigalia adminiſtra-
rent, publicorum jus privatorumque locorum
definirent, morum denique disciplinaeque Ro-
manae regimen haberent. Et ſic quoque ceteri
magiſtratus non legislatoris auctoritate, nec uno
eodemque tempore, ſed civium voluntate et
ſenſim paulatimque exſtiterunt. Quod vero ad
rerum adminiſtrandarum rationem, et publica
privata ue civium jura attinet, haec etiam non
ab uno viro conſtituta et deſcripta, nec primis
eadem fuiſſe, quae Catonis fuerunt, temporibus,
vix opus eſt, ut moneamus.

A

A ceteris igitur civitatibus, ut et ex historiâ et ex Catonis sententiâ patet, diversa fuit et peculiaris prorsus Reipublicae Romanae conditio. Quemadmodum autem reliqua omnia, sic et morum instituta in illis a legumlatorum, in hac vero ab ipsius populi profecta fuere voluntate. Quaecumque Spartae et Athenis morum bonitati promovendae inserviebant, publica puerorum educatio et institutio, ferrea moneta, xenelasia, munera publica improbis vel negata, vel, si iis fungerentur, ademta, Lycurgum haec et Solonem habuere auctores. Romani contra cuinam tandem legislatoris curae morum debuerunt excellentiam? Imo vero sanctissimo Areopagitarum tribunali Athenis Solon, Romae Censoribus morum curam ipsa injunxit civitas.

Haec jam peculiaris civitatis Romanae conditio facit quoque ad Censorum auctoritatem declarandam et existimationem. Nam, cum Athenienses eos, qui unius viri voluntate moribus regundis praeërant, quia tamen civitati mirum in modum proderant, summo habuere loco; fieri non poterat, quin Romani eum et colerent et venerarentur magistratum, quem ob insignem rei utilitatem moribus praefecerant *ipsi*.

§. 2.

Peculiaris Romanorum indoles.

Simplex omnium gentium est vitae ratio, antequam ad cultum et humanitatem perveniant. Sed haud facile reperiatur populus, qui pristinam suam simplicitatem omni aevo tantopere celebraverit, quantopere gens Romana. Certatim eam laudibus praedicarunt Romanorum poetae, historici, philosophi. In quibus laudibus studium imprimis occurrit agriculturae, quo principes viri quam maxime tenebantur. Sic Plinius in agrorum fertilitatem inquirens, ipsorum, ait, tunc manibus Imperatorum colebantur agri; ut fas est credere, gaudente terrâ vomere laureato, et triumphali aratore; sive illi eâdem curâ semina tractabant, qua bella; eâdemque diligentiâ arva disponebant, qua castra; sive honestis omnia manibus laetius proveniunt, quoniam et curiosius fiunt (1). Quid mirum igitur, si Romani illos imprimis magni facerent magistratus, qui id potissimum curabant, ut ne ullam in rebus lautioribus commutationem subiret morum simplicitas. Et vero Censores eos item notabant, qui agrum male co-

(1) H. N. L. 18. C. 4.

colebant, atque, quem virum *bonum colonum* dixerant, amplisſime laudasſe existimabant (1).

Sed alia item hic nobis animadvertenda ſunt gentis Romanae ſtudia. A primis jam inde urbis conditae temporibus dominandi in Romanis occurrit ardor. Finitimas gentes et ſub Regibus et magis etiam, liberâ Republicâ, ſibi ſubjicere et ita imperii fines propagare conabantur; ut mature jam regere imperio populos unice appeterent. Hoc autem dominandi ſtudium ut melius aliquando explerent, tum aliis erga devictos populos utebantur artibus, tum fortisſimi in bello esſe nitebantur; ideoque rebus imprimis militaribus tanto asſidue ſtudio operam impendebant, ut, ceteris vel ignotis vel incultis etiamnunc artibus, haec una jam ad vigorem perveniret. Quid quod totam eo referebant juventutis inſtitutionem, ut laboris illi ac belli patientes fierent (2). Huic a teneris asſuefactus ſaltare, currere, jaculari, gravisſima arma ferre in deliciis habebat civis Romanus, hoc potisſimum ſpectans, ut fortis fieret, nec hostibus in bello impar esſet. Ne vero in ipſis castris molli otio a fortitudine remitterent milites, corpora illic quoque confirmari, mollities et ignavia ſummo ſtudio arceri ſo-

(1) Plin. l. l. C. 3. (2) Sall. B. C. C 7.

ſolebant: unde jure Cicero totam rem militarem a majoribus divinitus conſtitutam fuisſe affirmat (1). Istiusmodi igitur genti, quae quo magis invalescebat, eo ardentius orbis terrarum principatum appetebat, id omnium maxime curandum, ut ne civium, in lautiore re verſantium, corpora debilitarentur, et ipſi ſic bellicos labores vix ferentes inſtantibus hostibus cederent. Curandum iccirco, ut ab ignaviâ, luxuriâ, mollitie integri manerent mores. Jam vero cum Cenſoribus gravisſimum morum regimen ipſa concesſisſet civitas, non poterat non illos ſummo honore, imo veneratione, proſequi, quorum potisſimum operâ cives in majorum intuentes virtutem, mente conceptum aliquando exequi posſent propoſitum.

In peculiari autem Romanorum indole, quatenus ad argumentum nostrum facit, deſcribendâ, minime eorum est mittenda gravitas; qua, ex antiquorum testimonio, adeo conſpicui fuisſe videntur, ut eam in vultu, in amictu, totâ vitae ratione, nobilisſimis de rebus publicis conſiliis, in ſummo civitatis discrimine, imo in praeſenti ejus ruina ſemper referrent. Et vero quantopere ſic ab aliis antiquitatis gentibus discre-

cre-

(1) Tusc. Quaest. L. 4. C. 1. Cf. L. 1. C. 1.

creparent, dici vix potest. Quae apud illas ita laudi ducebantur, Romanorum gravitati repugnabant, absque iis vitio vertebantur. Sic in scenam prodire et populo esse spectaculo, nemini in Graecia fuit turpitudini, Romae vero ita humile habebatur, ut id genus hominum non modo honore reliquorum civium careret, sed Censoria notatione tribu moveretur (1). Huic autem indoli unusquisque videt, quantum congruat morum regimen. Athenienses levioris fere indolis et novitatis saepe quam avitae conditionis amantiores Areopagiticum tamen tribunal magni fecisse vidimus. At Romani, majorum religiosi cultores, et illud tenentes, antiquis moribus Rempublicam esse superstruendam, horum vindices et statores venerabantur. Accedit, quod ipsa haec morum cura nescio quid dignitatis habebat, gravitatis, majestatis. Sacerdotum instar in ea animadvertebant Censores, quae, utut legibus haud obnoxia, antiquae tamen civitatis disciplinae adversabantur. Neque tantum viliores e tribu movebant viros, sed honoratiores etiam, imo summis in Republica functos honoribus Equestri et Senatoria dignitate privabant. Ab eorum ita judicio pendebat, quo quis in civitate loco, quo honore, qua apud ce-

(1) Nepos in praef. Cic. de Rep. L. 4. C. 10.

ceteros cives esset existimatione. Quocirca sanctissimum istiusmodi morum regimen non poterat non gravioris indolis hominibus vehementer placere.

Quo vero magis in hoc argumento tractando progredior, eo graviora, quae huc faciunt, in Romanorum indole mihi invenire videor. Nam fidei, justitiae, probitatis quantopere Romani tenaces essent Cicero declarat, cum nullam hac in caussa gentem majoribus aequiparandam et ab iis virtutis exempla petenda dicat (1).

Censoribus igitur, ut *φύλαξι, καὶ σωφρονίσταις, καὶ κολάσταις, τοῦ μηδένα καθ' ἡδονὰς ἐκτρέπεσθαι καὶ παρεκβαίνειν τὸν ἐπιχώριον καὶ συνήθη βίον* (2), summus apud Romanos constitit honos. Hinc autem factum, ut optimi quique et patriae amantissimi cives in eos gravissime inveherentur, qui, lapsâ jam opibus morum bonitate, malum hoc, Censorum tollendâ dignitate, in dies latius serpere sinebant. Quemadmodum enim Caesar fertur omnem in civitate conversionem, omnesque turbas, tanquam *ὕλην* eorum, quae machinabatur, excitasse potius et aluisse, quam restinxisse (3), sic etiam hominibus

(1) Tusc. Quaest. L. 1. C. 1. De Orat. L. 3. C. 34. Ceterum de hoc argumento conf. J. C. Voorduin in comment. *ad Cicer. de Romanis ac Graecis judicium, quod est Tusq. Quaest. L.* 1. *C.* 5. p. 12. sqq. (2) Plut. in Cat. Maj. p. 345. B. (3) Plut. in Cat. Min p. 769. F.

bus rerum novarum cupidis haec Censurae molestissima erat severitas, eamque omni ratione ni tollere, at infringere tamen nitebantur. Quod cum viderent, quantum Reipublicae afferret detrimenti, sponte et alii eo perveniebant et vero Cicero, ut in agitando Clodio, ejusque recensendis flagitiis, hominem diceret, in stupris inauditis nefariisque versatum, pessime ideo de Republica meruisse, cum veterem illam pudoris sustulisset et modestiae magistram, severitatem Censoriam (1), id est, cum firmissimo, quo tamdiu integra steterat, praesidio privasset civitatem.

Et ex his quidem omnibus satis patere arbitramur, quî factum sit, ut tanta apud Romanos Censurae auctoritas esset et existimatio. Sed, quandoquidem Censores, quam a munere mutuabantur dignitatem, hanc ipsi quoque moribus suis et virtutibus cumularunt, restat, ut hac de re item paucis agamus.

SECTIO TERTIA.

UT CENSORIBUS CENSURA, SIC CENSURAE VICISSIM CENSORES DIGNITATEM CONCILIARUNT.

Diximus, Romanos Censuram omnium, quibus quis fungi posset, honorum habuisse fasti-

(1) In Pis. C. 4.

tigium. Quocirca non quosvis cives, sed eos tantummodo, qui diu Rempublicam gesserant, optimeque de eâ meriti fuerant, Consulares plerumque viros hoc magistratu ornari volebant (1). Hi vero quo apud cives loco essent, inde sponte perspicitur, quod et per alia munera ad Consulatum sibi aditum praebere debuerant, et saepius ob rem praeclare actam triumphaverant. An vero, ut exemplis utar, M. Furium Camillum, M. Livium Salinatorem, Cajum Claudium Neronem, nobilissimum Asdrubalis ad Metaurum victorem, P. Cornelium Scipionem Africanum, T. Quintium Flamininum, Graeciae a Philippo Macedone liberatorem, Marcum Porcium Catonem, L. Valerium Flaccum, Tib. Sempronium Gracchum, L. Aemilium Paulum, Persei regis debellatorem, P. Cornelium Scipionem Africanum Aemilianum, Numantiae ac Carthaginis expugnatorem, Q. Mummium Achaicum, mediocrine hos omnes existimatione fuisse putamus? Aeternam hi viri amplissimis muneribus obeundis, fortissimis gentibus debellandis, patriâ a praesenti saepius excidio vindicandâ apud cives sibi comparaverant gloriam; qui, quo gratiorem iis animum probarent, et libenter triumphi honorem con-

(1) Diss. pag. 4.

concedere, et omni admirationis voluntatisque significatione prosequi solebant. Quocirca, cum ob summa haecce in civitatem merita jure colerentur, non poterant non, Censurâ dein ornati, tantum muneri splendorem conciliare, quantum eorum existimationem augebat munus (1).

Accedit autem, quod in Censoribus creandis non dignitatis tantum, sed et vitae morumque rationem Romani habebant. Egregie nimirum videbant, haud penes illos morum regimen esse oportere, qui ne ipsi quidem indolis se commendabant integritate. Quamobrem iis fere semper hoc munus mandabant Consularibus, quorum vitae morumque probata erat excellentia. Cujus quidem rei si exempla quaeruntur, iidem ferme, qui modo, afferendi sunt viri. Camillo enim quis unquam in summo patriae amore moribus praestantior? quem et diuturnam Faleriorum obsidionem turpissimae magistri proditioni fuisse praelaturum (2), et ad Vejos in re prosperâ optasse novimus, ut, „ si cui Deorum hominumque nimia sua fortuna, populique Romani videretur, ut eam invidiam lenire suo privato incommodo, quam minimo publico populi Ro-

(1) Hos viros Censores fuisse patet e Plut. in Cam. p. 129. D. Liv. 29. C. 37. L. 32. C. 7. L. 37. C. 58. L. 39. C 40. Plut. in Cat. Maj. p. 345. E. Liv. L. 43. C. 14. Plut. in Paulo 275. D. Cicer. de Off. L. 2. C. 22. (2) Liv. L. 5. C. 27.

Romani liceret." (1). Quod quam ex animo precaretur, dein vir egregius docuit. Nam, cum, a Tribuno die ipsi dicta, in exilium abiisset (2), adeo hanc ignominiam non prae se tulit, ut, Gallis urbem tenentibus, Ardeates auxilia Romanis rogaret (3), et arcessitus mox laetus Romam tenderet ad patriam liberandam. Flaminini quoque magnopere a veteribus celebrantur virtutes, cum ejus universam Graeciam non magis in bello virtutem, quam in victoria temperantiam, justitiam et moderationem miratam fuisse affirment (4). De Lucio autem Valerio etiamsi ipsi diserte non tradunt antiqui, hoc tamen pro viri moribus pugnat, quod M. Porcius Cato et ejus a juventute delectatus fuerat consuetudine, et illo uno collegâ castigare se nova flagitia, et priscos mores revocare posse ajebat (5). Quas vero Flaminino, easdem Lucio Aemilio Paulo Graeci tribuerunt laudes. In hac enim regione cum Sulla victor degeret et ab Amphictyonibus Apollinis Delphici thesauros peteret, tum in aliorum illi, tum in Flaminini et Pauli redierunt memoriam, quos nobilissimis victoriis inclytos non tantum Graecis templis abstinuisse, sed et donis illa et honore et

(1) Liv. L. 5. C. 21. (2) Idem L. 5. C. 32. (3) Idem L. 5. C. 44. (4) Idem L. 34. C. 22. (5) Idem L. 39. C. 40. Plut. in Cat. Maj. p. 337 E. et 345 D.

et veneratione cumulasse noverant (1). Et Paulus quidem adeo virtuti posthabuit divitias, ut pauperrimus ipse, generum sibi eligeret ex nobili et praestanti at inopi gente oriundum (2). Ipse vero primum ex Hispania Romam rediit, ne tertuncio quidem bello locupletior factus (3), mox, Perseo devicto, ingentem auri argentique vim ex regiis thesauris collectam ne intuitus quidem, Quaestoribus in aerarium deferendam concessit (4). Cum autem magna ejus esset erga victos clementia, magnae quoque ceterae virtutes, quid mirum, si praestantissimis et felicissimis eum extulerint exequiis; quae, de Plutarchi testimonio, non aurum, nec ebur, nec magnificus apparatus erant, sed benevolentia et honos et studium non civium modo, sed et hostium. Nam ex Hispania, ex Liguribus et Macedonibus qui Romae erant, juvenes quidem et fortiores lectum gestabant, seniores autem funus comitantes, Aemilium liberatorem et patriae quique suae servatorem dicebant (5).

De hujus autem filio, Africani majoris adoptivo nepote, Scipione Aemiliano quid dicam? Aut unde in viri virtutibus tradendis initium capiam? Cum tot tantaque earum veteres exhibent

(1) Plut. in Sulla p. 459 D. (2) Meiners l. l. p. 95.
(3) Plut. in vita p. 257 A. (4) Idem l. l. p. 270 D.
(5) Idem l. l. p. 276 B.

bent documenta, ut in iis eligendis dubius prorsus haereas. Et profecto, uti poeta ait,

Fortes creantur fortibus et bonis.
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam (1).

Sic mirum non est, praestantissimo patre dignissimum fuisse filium. Nam, ut bellicas laudes, quarum hic dicendi non est locus, mittam, tam parvi opes faciebat, ut et gemmas, quas a Scipionis avi uxore acceperat, matri ac sororibus, et paternam hereditatem, quindecim talentis auctam, fratri donaret (2). Tanta praeterea in eo fuit vitae simplicitas, ,, ut post duos inclytos Consulatus totidemque triumphos septem tantummodo servos legationis comites haberet. Itaque cum per socios et exteras gentes iter faceret, non mancipia ejus, sed victoriae numerabantur; nec quantum auri et argenti, sed quantum amplitudinis pondus secum ferret, aestimabatur " (3). Justitiae vero et probitatis mirabilis in eo fuit sensus, cum Carthagine captâ, nec praecipuum sibi quid ex praedâ sumeret, nec in victos crudelis esset, eorumve opibus suum ornari vellet triumphum, sed variis

(1) Hor. Carm. L. 4. Od. 3. v. 29 sq. (2) Meiners l. l. p. 102. (3) Val. Max. L. 4. C. 3. Ex. 13.

riis Siciliae populis, quae Carthaginienses abstulerant, reddere studeret artis monumenta (1).

In illis autem viris recensendis, qui quidem prae ceteris suam existimationem non tantum muneri Censorio debuisse, sed et ipsum munus ornasse videntur, quî mittere possimus M. Porcium Catonem; quem ea indole fuisse, sic omnium, quotquot unquam exstiterunt, Censorum praestantiam superasse constat, ut unus a censendi munere summam reportaret gloriam. Quocirca, uti de praeclarissimis Censoribus universe tantum diximus, sic, quo evidentius pateat, quantopere ipsi viri munus honorificum redderent, juvat jam Catonem tanquam perfecti Censoris exemplar proponere.

Hic igitur vir a prima jam aetate in duo incubuit studia, quibus qui operam dabant, Censuram aliquando gerere potuisse vidimus. Nam, postquam a septimo decimo aetatis anno in Italia adversus Annibalem sic stipendia meruerat, ut corpus adversis vulneribus oppletum haberet, a Quinto Valerio Flacco incitatus ad Rempublicam capessendam ruri Romam tetendit (2). Primum tum Scipionem Quaestor in Africam comitatus (3), dein Aedilis Plebis fuit (4), quo vix deposito magistratu, creatus est

(1) Cic. Verr. 4. C. 33. (2) Plut. in Cat. p. 336. seq. (3) Idem p. 338 A. (4) Liv. L. 32. C. 7.

est Praetor (1), et Sardiniam Provinciam obtinuit (2). Tandem vero his omnibus, quibus ad Consulatum aditus parari solebat, functus muneribus, Consul Hispaniam est sortitus (3), ubi rem tam praeclare gessit, ut et saepius hostes fugaret, et plurimae ad eum deficerent gentes, et Romam redux triumphi honore ornaretur (4). Tum autem non illorum secutus est exemplum, qui, quam primum Consulatum cum laude gesserant, Rempublicam relinquebant, sed, „ cum eum cogeret necessitas nulla, in Reipublicae undis et tempestatibus ad summam senectutem maluit jactari, quam in tranquillitate atque otio jucundissime vivere (5). Nam et Tiberii Sempronii in Thracia legatus fuit, et, Acilio Glabrione Consule, Tribunus militaris ad Thermopylas Antiochi Aetolorumque exercitum fugavit (6). His autem muneribus perfunctus, et egregie de Republica meritus, tan-

---

(1) Liv. l. l. (2) Idem L. 32. C. 27. Plut. in vita p. 339 D. (3) Liv. L. 33. C. 42 seq.
(4) Idem L. 34. C. 14. sqq. C. 20. et 46. Plut. in vita p. 341 seq. (5) Cic. de Rep. L. 1. C. 1. Cf. Plut. l. l. p. 342 D. (6) Liv. L. 36. C. 17 seq. Plut. in vita p. 342 sqq., a quo, ut et a Cicerone, sic dissentit Livius, quod eum in Graecia non *Tribunum*, sed *Consulis legatum* fuisse tradit. V. Cic. de Senect. C. 10.

tandem Censuram petiit (1), ad quam sic omnibus, quibus quis Romae fungi poterat, honoribus insignis accessit, ut dubites omnino, majoremne Catoni munus, an muneri Cato honorem conciliaret.

Attamen, ut perfectum in Catone Censorem animadvertamus, non tantum, quae cum aliis communia ipsi, sed etiam quae priva fuere, imprimis sunt attendenda, virique mores explicandi.

A pueritia jam vitae frugalitate, laboribus et exercitationibus corpus firmaverat et belli periculis exantlandis aptum reddiderat. In Fabii autem Maximi exercitu admodum adolescens militans, cum a Nearcho Archytae Tarentini orationem accepisset, qua nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominibus a naturâ datam ostenderetur, multo magis frugalitatem et continentiam amplexus est (2); imo vero eo processit, ut ad M. Curii se componere studeret exemplum. Hujus nimirum tugurio agros vicinos habebat, quo saepissime commeans et praedii mediocritatem ac supellectilis tenuitatem spectans, videre sibi videbatur Romanorum principem, de fortissimis gentibus victorem, tribus triumphis ornatum, terram fodien-

(1) Liv. L. 39. C. 40 Plut. in vita p. 345 A.
(2) Cic. de Senec. C. 12. et Plut. l. l. p. 337. B.

dientem et, dum rapas coqueret, magnam auri pondus recusantem. Atque hanc Curii frugalitatem sic admirabatur Cato, ut suam mox domum, praedia et servitia contemplans, laborem intenderet et magnificentiam prorsus tolleret (1). Tum igitur ruri degens cum servis operabatur, eâdem mensâ eundem, quo illi, panem comedebat, idem vinum bibebat (2), ad veterum plane rationem mores adaptabat. Neque privatus tantum, sed et primariis in Republica muneribus fungens, avitam morum retulit simplicitatem. Nam, quemadmodum Praetores in Provincias missi tabernacula, lectos, vestem stragulam e publico accipere solebant, et famulorum amicorumque catervâ, conviviis, sumtibus socios onerare, sic Cato in Sardinia Praetor, quantum se inter et decessores discrimen esset, suo luculenter ostendit exemplo. Publicis enim sumtibus nunquam indigebat. Ipse sine vehiculo pedibus Provinciae adibat civitates, uno tantum comitante accenso, qui vestem et spondeum ad sacrificandum gereret. Hanc vivendi simplicitatem cum summa in jure dicundo severitate conjungebat, in quo ita inexorabilem se praebebat, tamque rigide Edicta publica servabat, ut, cum frugalitatem Sardes admirarentur, gravitatem

(1) Plut. in vita p. 337. (2) Idem l. l.

tem in vindicanda justitia reformidarent plane (1).

Pariter Consul in Hispaniam proficiscens trium tantum servorum ministerio utebatur, haedinâ pelle dormiebat, et, prouti antea servorum, ita nunc quoque militum et cibis vescebatur et potum bibebat (2). Ac quum difficillimum esset Hispanos ex usurpata libertate Romanis iterum subjicere, suâ unice vigilantiâ hostes subigere potuit. „ Haec enim in eo vis animi atque ingenii fuit, ut omnia maxima minimaque per se adiret atque ageret: nec cogitaret modo imperaretque, quae in rem essent, sed pleraque ipse per se transigeret; nec in quemquam omnium gravius severiusque, quam in semet ipsum imperium exerceret (3); parsimoniâ et vigiliis et labore cum ultimis militum certaret; nec quidquam in exercitu suo praecipui, praeter honorem atque imperium, haberet." (4) Istiusmodi autem virum in eo optimorum exemplum Imperatorum fuisse secutum, quod ex praedâ nihil magnopere sibi sumeret, haud sane cuiquam mirum videatur, qui eum de virtute cum optimis certare maluisse cogitaverit, quam cum divi-

(1) Plut. in vita p. 339. (2) Val. Max. L. 4. C. 3. Ex. 11. (3) Omnibus se peccantibus veniam dare dicebat, praeterquam sibi. Plut. l. l. p. 340 F.
(4) Liv. L. 34. C. 18.

vitibus de pecuniâ, et cum avarissimis de avaritiâ (1).

Cum autem tantâ Cato morum esset integritate, fieri non poterat, quin et in aliis eam vel excitare vel alere, et ipsos Romanos ad avitam indolis bonitatem reducere conaretur. Hinc igitur factum, ut filium non servo, quem tamen optimum habebat, educandum committeret, sed ipse educationis et institutionis in se susciperet curam, ipse eum jaculari, armis certare, equitare, pugilatum, algus, frigus tolerare, vertices et vim fluminis nando superare doceret: conscriberet quoque historias, quibus majorum disciplinam et instituta cognosceret filius (2). At quantam operam posuit in Republicâ, divitiis jam corruptâ, ad antiquam normam adaptandâ? Quot potentiorum flocci fecit inimicitias, ut patrios in civitate mores tueretur? In Sardinia parum habuit, eam, quam privatus egerat, constanter servare vitae rationem, sed sanctus et innocens foeneratores ex insulâ fugavit, et sumtus, quos in Praetorum cultum socii facere solebant, partim circumcidit, sustulit partim (3). Romae vero cum de lege Oppiâ abrogandâ ageretur, efficacissimâ id ora-

(1) Plut. p. 342 A. (2) Plut. l. l. p. 348 B.
(3) Liv. L. 32. C. 27. Cf. Crevier ad h. l.

oratione impedire ſtuduit. Hanc nimirum legem, qua medio Punico Bello cautum fuerat, „ *ne qua mulier plus ſemunciâ auri haberet:* „ *neu vestimento verſicolori uteretur: neu juncto vehiculo in urbe oppidove, aut propius* „ *inde mille paſſus, niſi ſacrorum publicorum* „ *cauſa, veheretur*" (1), non niſi cum graviſſimo morum detrimento abrogatum iri cenſebat: tum enim nullum modum ſumptibus, nullum luxuriae fore. „ Saepe, ajebat, me querentem de feminarum, ſaepe de virorum, nec de privatorum modo, ſed etiam magistratuum ſumtibus audistis; diverſisque duobus vitiis, avaritiâ et luxuriâ, civitatem laborare: quae pestes omnia magna imperia everterunt. Haec ego, quo melior laetiorque in dies fortuna Reipublicae est, imperiumque crescit, et jam in Graeciam, Aſiamque transſcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, et regias etiam attrectamus gazas, eo plus horreo, ne illae magis res nos ceperint, quam nos illas. Infesta, mihi credite, ſigna a Syracuſis illata ſunt huic urbi. Jam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et anteſixa fictilia Deorum Romanorum ridentes. Ego hos malo propitios Deos, et ita ſpero futuros, ſi in ſuis manere ſedibus pa-

mu-

(1) Liv. L. 34. C. 1.

tiemur. Patrum nostrorum memoriâ per legatum Cineam Pyrrhus, non virorum modo, sed etiam mulierum animos donis tentavit. Nondum lex Oppia ad coërcendam luxuriam muliebrem lata erat. Tamen nulla accepit. Quam caussam fuisse censetis? Eadem fuit, quae majoribus nostris nihil de hac re lege sanciendi: nulla erat luxuria, quae coërceretur. Sicut ante morbos necesse est cognitos esse, quam remedia eorum; sic cupiditates prius natae sunt, quam leges, quae iis modum facerent. — Itaque minime mirum est, nec Oppiam — tum legem desideratam esse, quum aurum et purpuram data et oblata ultro non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cineas urbem circumiret, stantes in publico invenisset, quae acciperent (1).

Haec fuit M. Porcii Catonis indoles, quam, ut exemplis adumbrare studuimus, sic paucissimis verbis ad vivum expressit Livius. „ Invicti, inquit, a cupiditatibus animi et rigidae innocentiae; contemtor gratiae, divitiarum: in parsimonia, in patientia laboris periculique, ferrei prope corporis animique (2)." Quocirca haud immerito illum semper in ore habebat Cicero (3), et eo omnes, qui iisdem rebus studerent, quasi exemplari ad industriam virtutemque duci censebat (4).

Is.

---

(1) Liv. L. 34. C. 3. (2) L. 39. C. 40.
(3) De Leg. L. 1. C. 2. (4) De Rep. L. 1. C. 1.

Istiusmodi jam viro, amplissimis in civitate honoribus ornato, rebus gestis claro, moribus non tantum praestanti, sed et in quorumvis perversitatem gravissime invecto, unum petendum supererat morum regimen, ad quod sic et naturà et studio ipse suo aptus erat, ut, si perfecti Censoris describenda esset effigies, nil magnopere ei tribuendum putares, quin in Catonis expressum sit indole. Et mihi quidem ipse populus Romanus sic de eo judicasse videtur. Nam, quum, adversantibus maxime iis, qui libidinum et veteris disciplinae neglectae sibi conscii, inexorabilem ejus severitatem reformidabant, Censuram peteret Cato; Romani et Reipublicae salutem curantes, et viri virtutem perspectam habentes, eum, invita nobilitate, Censorem crearunt (1). Tum vero illud munus sustinens, quo suam de moribus opinionem non orationibus tantum, sed rebus ipsis declarare poterat, et principes viros, ipsum adeo Titi Flaminini fratrem Lucium, notavit, et corruptelae contagionem, latius in dies serpentem, omni ratione antevertit.

Et haec quidem de ipsis Censoribus dixisse sufficiat. Quae tamen haud ita a me disputata sunt, ut omnes, quotquot exstiterunt, Censores

---

(1) Liv. L. 39. C. 40. Plut. in vita. p. 345.

ſes eundem muneri honorem addidisſe contendam. Nolim hoc equidem de omnibus affirmare, nec profecto ceteros Camillo, Flaminino, Valerio, Aemilio Paulo, Mummio, Scipioni Minori, aut hos Catoni aequiparandos cenſeam, quos praeterea ipſos, quippe praeſtantisſimos Cenſores fuisſe conſtat, ſpeciminis loco propoſui. Sed hoc equidem affirmare non dubitem, eos, qui Romae Cenſuram gererent, cum et Conſulares et, ni optimis omnes, at nulli pravis moribus esſent, ipſum ornasſe munus; et ex illis praeclarisſimos mirifice Cenſurae auxisſe existimationem.

Et hac quidem, ut paucis complectamur, quae fuſius explicuimus, hac igitur veterum Rerumpublicarum et peculiari Romanae civitatis conditione, peculiari item Romanorum indole, et ipſorum tandem Cenſorum praeſtantia factum puto, ut Cenſura ἁπάσης τιμῆς κορυφὴ, τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις, πασῶν omnino ἱερωτάτη ἀρχὴ haberetur.



THE-

THESES.

I.

Elegiis Graeci non tantum argumenta tristia et lugubria tractabant, ſed ad monendum, hortandum, perſuadendum hocce poëſeos genere ſubinde utebantur.

II.

Graecorum coloniae συγγένειας potisſimum vinculo cum metropoli conjunctae fuere.

III.

De optima regiminis forma Perſarum principes tam praeclare disputantes induxit Herodotus, ut politicam viri prudentiam ſatis admirari non posſimus.

IV.

Egregie Plutarchus in Solone p. 90 A. *δεῖ δὲ πρὸς τὸ δυνατὸν γράφεσθαι τὸν νόμον, εἰ βού-*

βούλεται χρησίμως ὀλίγους, ἀλλὰ μὴ πολλοὺς ἀχρήστως κολάζειν.

V.

Quaestiones perpetuae et leges tabellariae magnopere eloquentiae apud Romanos studia aluerunt et promoverunt.

VI.

Verissime Crassus apud Ciceronem stilum optimum statuit, et praestantissimum dicendi effectorem ac magistrum, de Orat. L. 1. C. 33.

VII.

Causa, cur Graeciae principatum aliquamdiu tenuerint Thebani, in Epaminondae potius et Pelopidae virtute, quam in Thebanae civitatis conditione quaerenda videtur.

VIII.

Militare Imperium, quod in Republica Romana obtinuit, hoc potissimum nomine diversum fuit a Militum Imperio, cujus sub Imperatoribus maxima fuit vis et efficacia, ut illud ab ipsa Republica penderet, hi contra in civitatem dominarentur.

IX.

„ *Duplex in primis Constantini in Imperii*
„ *sede Byzantium transferenda consilium fuit.*
„ *Im-*

„ *Imperatoris cum dignitatem, quae contami-*
„ *nata erat, ornatiorem volebat esſe, tum auc-*
„ *toritatem, quae labare videbatur, ſtabiliri*
„ *cupiebat. Deinde ſperabat, ſe Christianam*
„ *religionem, ſi Româ decesſisſet, minori pe-*
„ *riculo, majorique ſpe prosperi eventus in-*
„ *ducturum esſe. Groen van Prinſterer in disſ.*
„ de juris Justin. praeſtantia ex rationibus ejus
„ manifesta" *p.* 81.

X.

Cruciatae expeditiones ad mores emolliendos et mercaturae ſtudia augenda ultumm valuerunt.

XI.

Ad humanitatem jurisque aequabilitatem in Europaeis gentibus provehendam, valuerunt imprimis civitates, quae ſeculo duodecimo condi vel reſtitui coeperunt.

XII.

In legendis ICtorum Romanorum fragmentis placet magnopere tum urbanitas, qua ſummi viri adverſariorum opiniones refutant, tum vero ingenuus ille candor, quo, ubi ſe a vero aberrasſe intelligunt, aliorum ſententiam amplectuntur.

XIII.

Ad dijudicandam vim et efficaciam, quam in jus Romanum habuit religio Christiana, accurata requiritur historiae cognitio, ut ne religioni tribuantur, quae ex aliis longe caussis exstiterunt.

E R R A T A.

p. 2 lin. 23 trcs *lege* tres
— 4 (1) *lege* (4)
— 5 lin. 18 magisrerio *lege* magisterio
— 8 — 6 facreficiorum *lege* facrificiorum
— —— 11 eam *lege* iis
— —— 16 anni *lege* anno
— —— 17 ilos *lege* illos
— 13 in not. l. 15 octingintorum *lege* octingentorum
— 15 ——— 11 imprimis *lege* imprimis (p. 89)
— 20 lin. 12 judicibus *lege* iudicibus turpi judicio
— 21 — 21 Q. Metellus *lege* L. Metellus
— 23 — 7 auctoritate *lege* austeritate
— 32 — 4 concilandae *lege* conciliandae
— — — 20 a Conful. *lege* a Conful. aut Trib. Mil. Conf. Pot.
— — in nota 1. in Vat. C. 15. *lege* in Vat. C. 15. Cf. Liv. L. 8. C. 12.
— 34 — 17 fumma infima *lege* fumma ima
— 37 — in nota 2. in Crasfo p. 566 A. *lege* in Crasfo p. 566 A. et in Camillo p. 135 C.
— 38 — 12 vindicare *lege* vindicaret
— 42 — 11 legum juriumque *lege* legum|
— 51 — 13 fententia *lege* fententia Cf. l. l. p. 166. fqq.
— 77 — 14 contraxeranr *lege* contraxerant
— 96 — 3 Pariter *lege* dein
— — — 6 Dein *lege* ast
— 103 — 2 Lacaedem. *lege* Lacedaem.
— 110 — in not. 1. Tucq. Quaest. L. 1. C. 5. *lege* Tusc. Quaest. L. 1. C. 1.

